DE

SENARIIS ITALICIS

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

L. VERNIER

SCHOLAE NORMALIS QUONDAM ALUMNUS

VESONTIONE

APUD J. DODIVERS ET SOCIOS

MDCCCLXXXVIII

DE

SENARIIS ITALICIS

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

L. VERNIER

SCHOLAE NORMALIS QUONDAM ALUMNUS

VESONTIONE

APUD J. DODIVERS ET SOCIOS

—

MDCCCLXXXVIII

MAGISTRO SUO

HENRICO WEIL

INSTITUTI GALLICI SOCIO

GRATI ANIMI PIGNUS

D D D. AUCTOR.

PROOEMIUM

Senarium sive trimetrum iambicum poetae latini inde ab aetate Livii Andronici usque ad finem imperii romani frequentissime usurpaverunt : sed in pangendis versibus non ita inter se consenserunt ut de omnibus unum idemque fieri possit judicium. Nam temporibus Horatii novum iamborum genus increbuit, ad graecanicam artem magis accommodatum : veteres autem illi et impuri, qui in omnes versus sedes praeter ultimam spondeum admittebant, coeperunt obsolescere. His Italicorum cognomen indidimus, non quod in Italia inventi sint, sed quia externae imitationis notam multo minus prae se ferunt : qui cum omnes posteriorum observantias a Graecis alienas exhibeant, aliis autem iisque non parvis vernaculum antiquae latinitatis colorem et tanquam sucum retinuisse videantur, praecipuo studio enitendum esse duximus ut eorum naturam atque indolem pro virili parte perspiceremus.

Hujus generis carmina quamvis ex usu poetarum et scriptorum testimoniis et multis titulis apud populum magna in gratia fuisse appareat, eorumque numeros, ut in re vulgari, et simplices et ab omni anxietate longe

remotos fuisse praesumpseris, mirum est tamen quam tortuosae et intricatae de iis habeantur disputationes : adeo quidem ut hunc versum nostri non ita dissimilem nostrates non modo numerosum esse non sentiant, sed etiam calamo discerpere, ut solet, plerumque fastidiant. In hac autem difficultate veterum grammaticorum opem vix est cur quisquam invocet, quorum alii in comoediis Terentii metra esse abnegabant (1), alii non nisi ex auctoritate priorum scriptorum affirmabant (2), alii, etsi illa videntur intellexisse, rem nobis minime aperiunt : immo ea quae apud omnes poetas observari primo obtutu quivis animadvertat, vel indicare ferme praetermiserunt.

Id ne quis mirum prorsus et singulare esse putet, domestica exempla recordetur. Negavit olim Bolaeus (3) in carminibus nostris vetustioribus fuisse numeros, et inveniantur sane etiam nunc inter semidoctos qui illi assentiantur. Praeterea eorum versuum, qui non ad scripturam, sed ad vulgarem loquendi morem saepe conduntur, sunt qui rationem legendo percipere nequeant. Sed si quis patriae linguae vigorem vivido sensu percipit, neglectis grammaticorum regulis, paucas syllabas, prout videbitur, recitando omittet, et versus pronuntiabit interdum sane horridulos, sed plenos saepe ac sonoros; qui si non semper elegantiae, certe ipsi rhythmo nunquam non satisfaciant, et a legibus necessariis oculorum, non aurium judicio recedere videantur. Nec mirabitur eorum rationes a grammaticis minime aperiri, quippe qui de scriptis, non de sermone, disserant,

---

(1) Prisc K, II, 418.
(2) Rufin. K. 565.
(3) Art poétique, ch. I.

et vulgaria cuilibet satis nota [1] ex tacito omnium consensu respuant, ceterum vaga et incerta omnia, ut mos est aetatum cultiorum, plane repudient. Scilicet haec ipsa grammatici latini, dum de metris popularibus aut inscite aut superbe disserunt, eruenda recentioribus reliquerunt. Quare, ut historiae studiosi earum rerum, quas veteres historici cotidiana ac vulgaria neglegentes silentio praetermiserunt, notitiam aliunde petere solent, sic nos vulgares sermonis observantias a grammaticis omissas necesse est per alia antiquitatis monumenta cognoscere. Eas autem quaestiones, quae de incisionibus et hiatu, et incertis finalium syllabarum quantitatibus haberi solent [2], fere praetermisimus, cum in animo esse ipsam versus hujus naturam et italicam rhythmi indolem, quantum licet, pernoscere.

(1) Donatus, K, 392. (de Barbarismo) : Quorum exempla *ultro se offerent*, si quis inquirat.

(2) Nam de his rebus ea probanda esse videntur quae disseruit Ludovicus Havet, *de Saturnio versu*, p. 23, sq.

PARS I.

DE PROSODIA.

I.

Romani a Graecis et varia carminum genera, et aptissima cuique metra mutuati sunt. Sed in illis imitandis non eadem omnes ratione sunt usi. Nam ut in hexametris Ennii numerus graecanicus facile agnoscitur, ita in versibus comicorum aegre nonnunquam intellegitur : qui spondeum ejusque vicarios et alios etiam pedes in omnes senarii locos praeter ultimum recipiunt, ut primo aspectu non tam graeca imitari quam nova proferre videantur. Huic licentiae Bentleius et causam quaesivit et excusationem : « Tragici [1], inquit, fugiebant limae laborem, certi se in re ante inexperta et apud aures tam indoctas veniam impetraturos. Melius vero ac mitius de comicis est sentiendum. Profecto Terentius... in artis leges arte peccavit... necessitate vel saltem commoditate inductus... Adde huc, consonantes in lingua latina pro vocalium numero frequentiores esse, quam in Attica.., et facile pronunties, minoris esse operae atque artis, ad Menandri normam graece scribere, quam latine ad Terentii. » His omnibus adicienda sunt quae dixit

(1) De metris Terentianis Schediasma (in edit. Terentii Tauchnitziana, p. 12). Tragicos a comicis separari non aequum est, cum utrique eadem arte utantur, nisi quod his paulo major data est licentia.

Horatius de Ennio, cui *operae celeris nimium curaque carentis* ant *ignoratae artis* crimen intulit.

Sed haec diligenter excussa mutati graecanici trimetri causam minime aperiunt. Nam quod aures populi romani tunc temporis indoctae erant, non ideo fuerunt neglegenda metra : nonne, quo illae erant hebetiores, eo crassiore, ut ita dicam, mensura et gravioribus ictibus versus oportuit emicare ? Errant enim qui vel plebem vagis et incertis numeris delectari putant : quippe et rusticos saltantes videmus saepe indecoro saltu corpus extollere, sed modos nihilominus plausu pedis haud ita modesto observare : et carmina vulgo ab indoctis condita immodulata esse nemo affirmaverit. Itaque commoditati, id est, voluntariae poetarum incuriae, pauca tantummodo videntur posse tribui. At syllabarum brevium numerus nihil obstitit quominus veteres illi scaenici Sophoclis aut Menandri artem accuratius imitarentur ; etenim posteriore aetate alii ad normam Graecorum se applicuere, et nostris temporibus senarii a doctis non multo difficilius panguntur quam versus heroi. Quid quod celeritas operae aut poetarum neglegentia elegantiae potuit obesse, ipsas metri rationes mutare non potuit ? Rectius Ennio ignoratae artis crimen imputavit Horatius. Scilicet ignorabant veteres illi artem Horatianam : num idcirco noverant nullam ? Cur non potius iis suam versificandi disciplinam fuisse credamus, non auribus aetatis Augusteae, sed ingenio aequalium et antiqui sermonis ex necessitate accommodatam ?

II.

Nam si quando tibi versus occurrent, quales etiam

nunc indocti homines vel pueri primis litterarum elementis imbuti gallice pangere solent, numeros profecto non intelleges, nisi verba ad vulgarem loquendi usum, non ad scripturam exegeris. Neque aliter mehercule Romae res olim se habuit, cum primum graeca metra coeperunt imitari. Id vel in hexametris apparet, quod metri genus multo elatius est ac nobilius ; in senariis autem, ut qui cotidianum sermonem referrent, ipsa natura poscebat ut sermonis consuetudo diligentius observaretur. Quare multi hactenus vulgarem illum usum indagare aggressi sunt : sed non ea est illorum doctrina quam quis libenter possit amplecti [1]. Plurima enim eaque maxime varia protulere, dum alii neglectam vim positionis, alii abscissas consonantes, alii extritas fuisse vocales contendunt, alii formas verborum temere excogitant, a latinitate prorsus alienas ; quid quod ne sibi quidem semper constant ? Ceterum illas pedum observantias quae latinorum propriae esse videntur, neque ex usu loquendi neque alio modo quisquam fere illustravit.

Haec tamen omnia ratione quadam non possunt non contineri : quoniam autem apud graecos poetas nihil simile invenitur, ubi harum rerum causam quaerendam esse credamus, nisi in ipsa lingua latina ? Eruendus igitur ille sermo plebeius, non ex versibus poetarum (nam metrorum observatio nostra placita, si vera sunt, ipsa concinnitate confirmabit) sed alio modo et ex aliis, quoad fieri poterit, monumentis. Primum igitur succurrit etymologia, quae, cum vocabulorum integriores formas

(1) Cf. E. Benoist. Praef. ad Rudent., p. L. ; C. F. W. Mueller, Plaut pros., p. 83 ; Edon, écriture et prononciation du latin, 19!.

revelet, quam ad normam illa a loquentibus mutari solita sint, per analogiam ostendit. Certa quoque ad notitiam hujus rei conferunt hexametri veteres, ut in quibus scriptura metro exactius aptata de pronuntiatione fidem faciat. Sed in eo a plurimis visum est discrepare quod ex dactylicis non in tractando uno genere vocum, id est iambicarum, ut fere fit, sed in omnibus, petenda duximus esse auxilia. Nam quod apud illos vocabula quondam olim iambica correpta ulteriore syllaba leguntur, universas dictiones ejus generis breviatas esse nemo non decernit : quin igitur nullus est qui eorumdem auctoritate fretus et in aliis verbis syllabas quasdam vulgo corripi potuisse statuat? Inveniuntur autem hujus modi multa, quanquam iambicis paullo rariora. Itaque si quae apud poetas elegantiores aliquam vulgaritatem redolent, ea parvis initiis inducti apud comicos in amplissimum licentiae spatium evagari potuisse credimus. Prosunt autem antiquae inscriptiones et grammaticorum loci nonnulli. Nec pauca suppeditant, quanquam alium in modum, posteriorum aetatum tituli ac glossaria ; quae quamvis vocabula multo magis corrupta quam in antiquo sermone nonnunquam exhibeant, nihilominus legem, qua corruptio illa regitur, patefaciunt, efficiuntque ne, quod doctis saepe accidit, barbare concisa vocabula et ab indole latini sermonis abhorrentia poetis inferamus.

At ne quis ex his quae spatio temporum longissime distant incerta tantum ac temeraria expromi posse arbitretur. An *sortus, festra, dedrot,* aliave cascam antiquitatem redolentia, tum *felcis, honri, fecrunt* vel si quae suppeditant Schuchardtii promptuaria, tum etiam recentiorum vocabula *firent, honra, furono* diversam in mutanda verborum quantitate consuetudinem arguunt?

Neque vero Ennianum illud *acpite* [1], aut Vergilianum *porgite* alio modo nata sunt quam nostrum *queudre* ex eo quod erat *colligere*. Et horum certe similia cotidiana vulgi libidine oriuntur. Quid quod veteres ea corruperunt quae apud recentiores paene integra manserunt, ut *secolo* Itali nunc retinent quod antiqui saepe dixerunt *seclum*? Itaque ex illis omnibus quasi ipsam indolem linguae ac certas contrahendi leges licet indagare, quae in singulis verbis, prout res poscet, adhibitae veterum grammaticorum neglegentiae medeantur.

Sed pronuntiationem tot vocabulorum eruere conanti longum verbosumque et inconditum opus non edere magnae molis esset, nisi suppeteret ratio grammaticis recentioribus haud ignota : illam dico eloquendi segnitiem vel facilitatem, qua vulgus quasi parcens viribus verba multis modis corrumpere solet [2]. Illa et linguam latinam in sermones varios convertit, et nunc etiam nostrum loquendi usum sic regit, ut, ni obstet humanitas, omnes dictiones intra brevissimum temporis spatium commutatura esse videatur : eam autem Romae rudi adhuc et bellicosa civitate viguisse nemo dubitaverit. Neque enim immerito credatur lingua aetatis Ennianae linguarum, quas *romanas* nuncupant, fuisse antiquissima, scriptorum latinitati proxima, ut quae tanquam uno gradu inferius staret. Et quoniam illa non temere vagatur, sed certis regulis continetur et sermonem non repentina vi, sed perpetuo tenore immutat, veteris illius sermonis leges, ad similitudinem earum quas *romanistae* sanxerunt, constituere visum est ; unde

(1) L. Müller, Enn. 26.

(2) Quod gallice dicunt *principe de la moindre action.*

non parvo adjumento haec studia fulcientur. Nam per illas regulas et propriam latinitatis indolem melius cognoscere, et ubi pauciora traduntur exempla, de omnibus quae ejusdem generis sunt, certius judicare, et rei breviter tractandae ordinem haud incommodum eligere licebit.

Vis autem illa quae linguam latinam corrupit cum accentu grammatico artissime conjuncta est, cum natura ita comparatum esset, ut hujus virtute vocabulis figurae et darentur et adimerentur. Nam dum vox ante acutam syllabam quasi ad subsiliendum colligitur, post autem fessa requiescit, syllabis proximis suam spiritus partem, si firmiores sunt, maligne tribuit, si debiles, fere negat : iis vero, quae longius distant, recreata magis insistit : ideoque hae diutius ferme servari solent, donec extritis aliis, nullo jam interposito munimento, ipsae accentus vicinitate exanimantur. Quamobrem quaerenti qua lege vocabula perpetuos illos corruptionis gradus persequantur facile apparet duplicem ejus rei esse rationem. Dictiones enim eo facilius mutantur, quo violentior accentus, quoque infirmiores sunt graves earum partes. Accentus autem in brevi syllaba positi major vis est quam in longa, quia videlicet ut lumen repentinum proximas res oculis subtrahit, sic syllaba illa, ut cui et pondus accedat et celeritas, vicinam, dum maximam spiritus partem sibi vindicat, facilius obruit : at in longa, aut altera brevi efferenda (nam binarum brevium, quibus longae constant, altera tantum acuitur) aut exprimendis binis consonantibus vis accentus infringitur, et mora quadam tractuque languescit, ideoque proximis minus nocet. Exitiosum vero accentus impetum elementa eo facilius sustinent quo difficilius pronuntiantur : itaque

consonantes, quae sunt quasi ossa vocabulorum, ferme non excidunt, sed subtracta vocali proxima ob concursum litterarum duriorem in unam coeunt. Porro vocales vel natura vel positione longae brevibus sunt firmiores, cum eas aut sonus plenior, aut consonantes, quae illis ablatis aegre pronuntientur, ab exitio defendant.

III.

Ex hac duplici accentus virtute et vocalium debilitate quadripartita fieri potest vocabulorum divisio : ut primo et secundo genere comprehendantur ea in quibus aut brevi syllabae acutae altera brevis adjacet, ut *agit*, *positus*, *sonipedes*, *viden*, aut longa, ut *agant*, *agas* ; tertio quae in longa accentum habent, sed ita ut sit brevis proxima, qualia sunt *inde*, *tollitur*, *sagitta*, quarto quae et syllabam accentu expressam et proximam producunt, cujus generis sunt voces spondiacae aut in spondeum exeuntes. Et in his quidem duobus postremis non modo quid vocalis gravis, sed etiam quid acuta ab accentu patiatur; operae pretium erit attendere.

§ 1.

Itaque ut ad primum genus veniamus, vocalem brevem acutae brevi adjacentem plerumque imminui facile intellegitur : talia enim vocabula celeriter pronuntia : vix poteris vocem sic moderari, ut non fiant fere monosyllaba. Quare *fer*, *fac*, *neque*, *capsis*, *fers*, *fert*, *vult* ablata *e* vel *i* antiquitus scripserunt; idemque dixerim de iis quae sunt *amat*, *apud*, *color*, *pudet*, modo

insequatur vocalis. Similiter voces tribrachicae et anapaesticae ob eamdem causam vulgo vix aliter efferebantur quam dissyllabae. Qua propter etiam *tableis*, *decmus*, *poplus*, *caldus* (1) et alia multa eodem modo pronuntiabant, quod ex veteribus monumentis apparet : cujus generes complura aut scribi solita sunt, aut a poetis etiam elegantissimis usurpari, ut *cautum* (2), *nauta*, *misertum*, *valde*, *replictus*, *postus*, *repostus*, quae omnia litteram unam amiserunt.

Jam ad ea vocabula veniamus quae contra leges grammaticorum acuebantur. Id quidem antiquitus factum esse philologi recentiores non negant (3) : sed Corsseno (4) asseveranti vetera illa ante primam latinarum litterarum aetatem obsoluisse non possumus assentiri. Tonos enim aliquando commutari posse neque ceteri grammatici infitiantur et profecto declarat Gellius, rerum grammaticarum haudquaquam spernendus auctor : quo teste (5), Annianus poeta, vir litterarum, ut ait, veterum et rationum in litteris oppido peritus idemque Probi auctoritate fretus, Romanos aetatis Plautinae in quibusdam aliter ac recentiores locutos esse censebat : qui et in aliis multis et in eo quod *exadversum* dicebatur, secundam syllabam debere acui existimabat, atque ita apud Terentium legi dicebat oportere. Quod autem ipse Gellius *adpotus* et *adprimus* prima acuta non satis commode pronuntiari arbitratur, illud non ita barbarum esse tantum non

(1) Cf. Corssen. Ueber Aussprache, etc. II, 526-544-547.

(2) Cf Kuehner. Grammatik der lat. Sprache, p. 83-84. Corssen, II, p. 546.

(3) Weil et Benloew, Acc. lat., p. 126. Corssen, II, 902.

(4) *Ibid.*, 906.

(5) VII, 7.

innuit; quod vel sequentia confirmant : « Syllaba, inquit, natura longior non FERME patitur acui priorem in vocabulis syllabarum plurium quam duarum. »

Ut autem ad nostra redeamus, in vocabulis proceleusmaticum vel paeonem quartum implentibus peculiaris est accentuum condicio : in his enim quartam a fine antiqui saepe acuebant, ita ut *omnibus* pro *hominibus*, *optimus* pro *opitumus* et similia ad eamdem normam pronuntiarent. Nam apud Ennium *capitibus* (1), in titulo Mummiano *facilia* (2) pro dactylis posita sunt : scripsit etiam Horatius *puertiam* (3) quod est ejusdem generis, Juvenalis *striglibus*, Fronto *domnula*, et ex vulgaribus monumentis regulam illam longe posterius obtinuisse conjicias (4).

Hoc igitur modo *calamitas* et *voluerit* et similia potuerant efferre; quanquam eadem ad normam ceterarum dictionum exprimere licuit : neque fuit hoc naturali accentuum legi contrarium, cum acuta jam tertium fere a fine locum obtineret syllaba (5).

Erat vero ubi brevis vocalis brevem acutam praecedens eodem modo excideret : unde *malfaciant* dixerunt et *benficium* quod etiam Phaedro Lucianus Mueller adscripsit. Hoc verba breviora difficilius patiebantur : credo tamen ea quae sunt, *satin*, *haben*, *viden*, sic vulgo solita esse contrahi, ut, *sann*, *hann*, *vinn* aut *venn* profer-

---

(1) L. Mueller, Q. Ennius, p. 224.

(2) C. I. L. I., 151.

(3) Hor. Od., I, 36-8. Juv, III, 263. Fronto (Naber), p. 83

(4) Schuchardt. Vokalismus, II, 418, sq. Dom(i)tiae, *depossîo* (depositio).

(5) Hûjus generis verba duplici modo contrahebantur : nam pro *reposítum* poetae ponunt *repostum*, Diomedes autem monet per ecthlipsin dici posse *repsitum* (K. 453). Cf. *frutectum* pro *fruticetum*.

rent, ideoque fierent monosyllaba brevia (1) : idque eo videtur confirmari quod illa nunquam, ni fallor, arsin dactylicam implent insequente vocali, ne pro una brevi syllaba habeantur; sed voculae *utin*, in qua *i* producitur, non eadem est condicio (2). Est autem neglegentius loquentium, non elegantiorum, voces ita corrumpere ut vocalis initialis aphaeresis fiat aut consonantis detractio; neque talia exempla in antiquis monumentis ferme inveniuntur, videlicet quod is, qui scribit, quamvis indoctus sit, has vocum formas usu frequentissimas, sed humiles ac demissas, scribendi quadam dignitate elatus, exarare cavet. Et hoc alias saepius erit observandum, praesertim de iis quae cotidiana consuetudo triverat, paucissima tantum a veteribus prodi ; quae quidem ipsa erit et asperiorum concisionum confirmatio et audaciae nostrae, si cui mira proposuisse videbimur, excusatio.

Sed his demum exceptis cum vocabula, de quibus supra egimus, non modo in monumentis publicis, sed etiam in cultissimis aetatis Augusteae carminibus contracta inveniantur, ea quae similia erant, eamdem ad normam vel ab elegantioribus expressa fuisse jure pronunties. Quae quod unam tantum vocalem brevem, nullam consonantem amittunt, primum contractionis gradum obtinent : ideoque has nobilioris sermonis observantias aequum erat pro fundamento artis metricae haberi vel a tragicis (quanquam quid illis licuerit, non satis constat)

---

(1) Nisi forte haec vulgo eodem accentu efferebantur ac si non essent interrogativa licet enim suspicari aliud veteres, aliud recentiores de verbis per apocopen mutatis sensisse. Cf. Edon, 278. *San* dici potuit pro *satne* (quae forma postea exoluit) ut *ac* pro *atque*; in quo nihil est offensionis.

(2) V. C. F. W. Mueller, p. 219, 223.

vel a poetis cultioribus, qui aetate Lucilii et postea vixerunt.

§ 2.

Jam abjectiora tractanda erunt, si ad genus vocum iambicarum curam vertemus. In his posteriorem vocalem longam vis accentus propter brevitatem dictionis acrius urgebat, et communis omnium usus saepe corripuerat, adeo ut ne aurea quidem litterarum aetate ad pristinam quantitatem reduci potuerit. Et verisimile est in hanc licentiam omnia vocabula spatio paria olim concessisse, ut *bono* sicut *volo* correpta *o* efferrent. Sed quae omnium consuetudo breviabat, ea vulgi sermo neglegentior, tanquam uno gradu antecedens, magis etiam deminuit, ac tantum non extrivit : cujusmodi abscissiones etiam libris tradita sunt. Nam *cau* profecto *cave*, quemadmodum *cauneas* (1) pro *cave ne eas* et *causis* (2) pro *cave si vis* pronuntiabant (3). Eadem de causa *nise* et *sibe* et *here* (4) antiqui scripserunt, scilicet quod ulterior vocalis quasi exanimata per *e* vocalem, quae omnium debilissima est, melius exprimeretur. Quin etiam multas voces hujus generis omnino monosyllabas fuisse ex eo conjecerim, quod aliae a poetis ita collocatae sunt ut, deletis casuum et personarum notis nulla sententiae consequeretur obscuritas (etenim *abi cave, fere, domi* facile carent litera finali), aliae autem cum proximis ita conjun-

---

(1) Cic. De Divin , II, 40.

(2) In his et sequentibus nonnulla admonente L Haveto sunt emendata.

(3) Juv. IX, 120..

(4) Cf. Quintil., Inst. Or. I, 4, 8.

guntur ut unum vocabulum efficiant, quales sunt *bona fide*, *bonae frugi*, *cum malo nostro*, *seni nostro*, *di boni*, *boni consulas*, in quibus terminationis detractio non multo plus habet offensionis quam in iis quae sunt *mansuetus* et *mandare*. *Boves* et *novos* (nam et *denuo* dixerunt) per metaplasmum alioqui frequentissimum, ut mihi videtur, proferebant. *Domo* nescio an *do* (nam littera *m* cum vocalibus saepe coalescit) et *modo mo*, quod postea in consuetudinem venit [1], pronuntiaverint : *fores* et *foris* sublata *e* vel *i* facillime fiebant monosyllaba. His omnibus adjicienda sunt quae vocalem longam acutae praepositam pari jure amiserunt, ut *calfacere* et *olfacere* [2]; quorum ad similitudinem *pudicitia* breviata, id est, paene extrita *i* efferri potuisse crediderim.

Porro in vocabulis positione iambicis ad eamdem normam vocalis gravis tollebatur : sed ita plerumque ut consonantium dure concurrentium aut aliqua *assimulatio* fieret aut levis immutatio. Nam ut *fers vult* propter liquidum sonum litterarum *r* et *l* vel ante consonantem haud difficulter efferebantur, sic etiam *dolet*, *erat*, *erit*, *moror*, *solet*, *soror* [3], vocalem gravem nullo finalis consonantis detrimento deposuerunt. *Domum* vero *domu* vel etiam *do* quod legitur apud Ennium [4], et *coquum*, *coquo*, et *manum manu*, sed ut una fere syllaba audiretur, pronuntiabant (et sane in his *m* obscurum sonabat), *apud*, *color*, *dedit*, *enim*, *habet*, *jubet*, *pater*, *redit*, *senex*, *simul*, *studet*, *tamen*, ut si essent *app*, *corr*, *dett* [5], *enn*, *hatt*,

(1) Schuchardt, II, 393.
(2) Corssen, II, 577
(3) Schuchardt, II, 435.
(4) Auson., 12-3.
(5) Schuchardt, II, 438. *Deus det.* Deus dedit, Cf. 511 : *Daras* (dare

jutt, *parr* (quod est etiam in *parricida*), *rett*, *sens*, *simm*, *stutt*, *tam* (quod antiquitus in usu fuisse testis est Festus (1); *adest*, *potest*, *asst*, *posst*, — *habent* autem, *student*, *velint*, *hannt*, *stunnt*, *vint* (2), ut *vis* pro *volis*; nam *n* etiam in linguis romanis permansit, et hoc uno contractionis modo potuit sententia intellegi. In *agit*, *facit* (3), *decet*, *licet*, *negat*, *c* et *g* in sonum *i* consonantis partim transire potuerunt; sicut *deni* pro *deceni*, *dejni*, et *major*, et *ajo*) (4) dicebant. Nec non *magis* in *mais* converti aequum fuit: quanquam et hoc et *minus* et *nimis* et *satis* utrum abscissa *s*, ut *i* tenuissimo esset sono (unde et *sat* ortum est), an extrita tantum vocali proferri solita sint, incertum: et fortasse utrumque usus probaverat. *Ego*, *nisi*, *sibi*, *tibi* par fuit eo magis deformari quod usu frequentissimo detrita erant; itaque ea in *ei*, vel etiam *go*, *ni*, *si*, *ti* (nam et *mi*, quod est pro *mihi*), apud poetas invenitur et interdum cum vocali insequente coalescit (5), vulgari consuetudine mutata esse crediderim, adeo quidem ut voculae illae ad unam fere consonantem collidendo redigerentur. In his autem tractandis praesertim operam dedimus ne quid proponeremus quod regulis illis *romanistarum* videretur esse plane contrarium: ceterum qui et eorum praecepta et italice aut gallice loquendi vim verborumque consuetudinem tenet, illa velociori pronuntiatione, ut opinor, vix efferre poterit, quin ad has loquendi formas ipsa natura adducatur.

---

habes), at (*habet*). Cf. Diom. K. 452. (Barbarismus) fit... per apocopen ut si accusativo sine *m* littera *domu* dixeris.

(1) Festus, p. 360, 6.

(2) Cf. *tent* pro *tenent*. Schuchardt, II, 434.

(3) Cf. Schuchardt, II, 401.

(4) Kuehner, Lat. Gr., p. 127.

(5) Kuehner, Lat. Gr., p. 379. Ritschl, Prolg., p. 291.

§ 3.

De vocabulis iambicis separatim disserere, quod multis placuit, parum convenit, quod illa non aliis legibus reguntur quam cetera, quanquam vulgarem usum scriptura minus fideliter expressit. Id non aeque accidit iis dictionibus quae tertio genere comprehenduntur. Vis enim accentus longam syllabam efferentis cum sit multo minor, vocalem brevem expellere non potuit, ubi non aliqua loquendi facilitas accesserat. Itaque quod *e* brevis vocalium erat infirmissima, *dic*, *duc*, *hic*, *seu*, *siremps* (1), *exemplar*, *tanton* abscissa illa scripserunt, sicut etiam *ac* et *exin* pro *atque* et *exinde* (2), in quo quidem ulteriore detrimentum amissae consonantis productione vocalis compensatur. Eodem modo *inde* et *unde* per unam syllabam, ut *in* et *un* fere sonarent, pronuntiata fuisse putes. Vocibus quoque dactylicis vel in dactylum exeuntibus vocalis brevis interdum subtrahebatur, ubi consonantes lenius concurrere poterant. Quare *libertas* et *audacter i* litteram abjecerunt, *periclum* autem et similia multa poetae scripsere, *aridum* etiam Lucilius (3) ablata *i*; quod et usus scriptorum graecorum et monumenta vulgaria confirmant (4). Pari jure *laridum* dici potuit *lardum*, et *consulit* fere *coslit* quemadmodum *virgines* Ennius pro spondeo posuit. Sic etiam vocabula paeonem primum implentia mutato accentu contrahe-

(1) Kuehner, Lat. Gr., p. 86.
(2) Cic. Orat., XLV.
(3) Cf. Corssen, II, 517-524, sq.
(4) *Id.*, p. 525. Schuchardt, II, 402, sqq.

bant, cum apud Ennium et Vergilium *porgite*, apud Lucretium *surpere*, apud Horatium *surpite* legatur (1). Idque etymologia ac sermone plebeio comprobatur : etenim *sinciput principis naufragus Ofdius* dicere maluerunt quam *semicaput princĭpitis navifragus Aufidius* (2) et postea *infrius martribus, progniem* (3) scripserunt. Atque olim profecto loquentibus hoc fuit moris, ut talia vocabula hoc modo conciderent, si id facile fieri posset : nam *discipulum* et cetera hujus modi paenultimam abjecisse vix potest dubitari. At *blandiloquens* extrita fere *i* in quarta a fine acuere vulgari consuetudini consentaneum fuit.

Hoc genus ut absolvamus, de vocali brevi syllabam accentu expressam praecedente dicendum est. Quae cum syllabae accentu secundario notatae subjecta esset, duplici illa vi haud dubie obruebatur. Et id quidem fiebat frequentissime, si vocalis proxime antecedens acuebatur, quod ita plus valebat : nam *speculator, tegularius, veteranus* (4) velocius pronuntiata vocalem illam servare vix possunt ; adeo ut talia ad sermonem cultiorem referenda esse videantur. Ab his non multum differunt *manuplaris* quod Ovidius (5) scripsit, et *disciplina* quod pro *discipulina* veteres dixerunt. Sed ne longa quidem antecedente his concisionibus abstinuerunt : *tonstrina* enim et *purgare* (6) quae sunt pro *tonstorina* et *purigare* vel scripta

(1) Enn. L. Mueller, p. 14. Virg. Aen VIII, 274. Lucret., II, 314, Hor. Serm., II, 3, 283.

(2) Corssen, II, 902-3.

(3) Schuchardt, II, 418-9.

(4) Corssen, II, 524. Schuchardt, II, 424.

(5) Fast. III, 118. Corssen, II, 575. *Postquam ceciderunt* initio veteris hexametri invenitur. Ritschl. Rhein. Mus., XIV, 412, sq.

(6) Corssen, II, 522-831. Cf, Schuchardt, II, 423, sq.

retinuere : *jurgare* et *jurigare* pariter antiqui usurpabant. Quid quod hexametris Lucilius *frigdaria* inserere ausus est, Lucretius [1] *coplata*?

Dissimilis autem fuit ratio contractionis ubi vocalis, de qua nunc agimus, principiali syllaba continebatur. *Voluntas* quidem, *sagitta* forsitan quis putet *vluntas* et *sgitta* efferri potuisse ; sed neque *vl*, neque *sg* auribus romanis acceptum fuit. Itaque talia ferme non probaverim, nisi exterenda vocali is consonantium concursus fieri possit qui latinitati non fuerit alienus, ut *scena* pro *sacena* [2] dixerant, *mnester* pro *menester* et postea *spulcrum* vel etiam *Sverus* [3]. Aliud vero plerumque obtinuit, in quo vulgarem quamdam accentuum condicionem licet deprehendere. Neque enim apud veteres legem ullam [4] viguisse arbitror, recentiorum normae et ipsi naturae contrariam, qua revera aut quarta a fine syllaba, aut tertia, ubi paenultima longa esset, acueretur : sed iisdem regulis observatis vocabula, ut quaeque in aliam formam convertebantur, alio accentu oportuit exprimi, quia vulgus concisionis studiosissimum tonos mutare maluit quam verba non contrahere. Itaque illud quod erat *opitumus*, aut *opitmus*, deinde fortasse *opimus*, aut *optumus* pronuntiaverunt, sed nunquam, ut opinor, *opitumus* acuta *o* : accentum enim in quartam tum demum transferebant, cum tertiam audire sibi non videbantur. Sic etiam *rosae*, *juxta*, *monui*, *dedsti* pro *rosai*, *jugista*, *monevi*, *dedisti* dicere instituerunt immutato simul accentu et vocabulo cum et contrahere gestirent

(1) Lucil, VIII, 7. Lucret, VI, 1086.
(2) Festus, p. 318.
(3) Schuchardt, II, 422-3.
(4) Corssen, II, 896.

neque a vernacula lege tonorum auderent recedere. Hanc ad normam *fenstra* sive *festra*, quod Festus (1) prodidit, *Philpum*, ut etiam posteriores (2), *scelstus*, *necse*, *remto*, *absse*, *sagita* (3) *sencta*, *volutas*, *vel voptas* pro *fenestra*, *Philippum*, *scelestus*, *necesse*, *remitto*, *abisse*, *sagitta*, *senecta*, *voluptas* vulgo efferebant. Salva igitur naturali lege fiebat tantum accentuum *metathesis*, vulgari sermoni imputanda : idque eo comprobatur quod mos ille apud cultiores exoluit, ubi vocabulis loquentium arbitrio jam non permissis, ac praefinito syllabarum numero, accentus summo rigore certos locos obtinuerunt; sed apud plebem minime intermissus est, unde barbarismos accentuum Donatus (4) recensuit et dictiones nonnullae in linguis romanis contra leges etymologiae videntur proferri.

§ 4.

In illo genere vocabulorum siquis vocalem brevem vulgo subtractam esse concesserit, non erit cur longam alteri acutae proximam eadem ratione corripi non potuisse putet : quod vel usus poetarum elegantissimorum demonstrat. Ut enim *pastor*, *compar*, *olim* corripuerunt pronuntiando, ita *sero*, *porro*, *quando*, *misce*, *salve* pro trochaeis, *inferne*, *vincendo* (5) pro antibacchiis posuerunt : *acerbus*, *molestus*, *pusillus* principialem syllabam

---

(1) Fest. p. 91.
(2) Schuchardt, II, 417.
(3) Schuchardt, II, 417, *mernti* (merenti) *honri* (honori), hisp. *honra*, p. 434, *tentur* (tenentur). Edon, Ecrit. et pron. du latin, p. 231-232.
(4) K. 392.
(5) Corssen, II, 470-480-1. L. Mueller. De re metrica, p. 340.

corripiunt, cum eamdem *acer moles pusio* producant [1]. Syllabas vero positione longas apparet breviari non posse, nisi in similem sonum coeant consonantes, deinde altera eximatur, velut *obmitto* primum dixerunt, deinde *ommitto* et *omitto*, atque ad eumdem modum *aperio* et *oportet* breviata vocali initiali : *oquoltod*, quod est ejusdem generis, antiqui vel scripserunt [2]. Item in *propino propago* primam syllabam ob amissam *d* olim longam posteriores corripuerant ; composita autem, ut *refero reduco* pristinam quantitatem vix retinuerunt. Eadem de causa *mamilla, ofella, farina*, quae sunt a *mamma, ofella, farre* scriptorum usu sancita sunt ; *corruptum* brevi prima Lucilius et Lucretius dixerunt [3], et apud poetas posteriores similes inveniuntur correptiones [4] : velut *parricida porrigi neglexit compararunt, pertulerunt* in prosa oratione primam habere brevem asseruit Diomedes, qui quidem, ut ipsis exemplis apparet, artis suae praecepta Tullii usu comprobare non dubitat [5]. Quare *accedo, annona, compellarem, occulto, supellectilem, vicissatim*, nec non *Alexander* et *trapezita*, ut in quibus *x* [6] et *z* pro *ss* haberi possint, non geminata consonante pronuntiabant. In aliis autem vel unam vel plures litteras oportuit elidi. Sed vulgari sermoni multa hujusmodi licuisse nemo non concedet. Ut enim ab his vocalibus incipiamus quae syllabam acutam proxime antecedunt, *verecundiam* potuisse dici *vericundiam*, ac tantum non *vercundiam*, qui magis

(1) Corssen, II, 515. V. alia exempla e posterioribus petita in L. Muelleri de re met. lib. VI.

(2) C. I. L. I. p. 196.

(3) Cf. Luc. Mueller, De re metrica, p. 360.

(4) *Ibid.*, praesertim lib. VI.

(5) K., pp. 468-469-470.

(6) Cf, Edon, p. 227.

mirandum esse putes, quam *rubicundum* et *pudibundum*, et alia plurima [1]? Consentaneum est *verebamini* et *argumentum* et similia secundam saepius corripuisse, quod et postea poetis christianis probatum est [2]. *Juventutem* veri simile est veteres dixisse juventutem [3] vel *juntutem* ut *juvenior junior* et *magistratus maistratus*; *quadraginta*, *quadranta* vel *quadrinta* : nam *vinti* et *trinta* et *sexanta* [4] plebeii sermonis fuisse comperimus.

Cavillator haud dubie Plantus sic enuntiari voluit, ut audiretur *caullator* [5]. Quoniam autem *v* litterae *b* littera sono proxima est, adeo ut *nobiscum* vulgus postea *noscum* expresserit [6], facile potuit *gubernator* ita contrahi ut *gurnator* fieret. *Ministremus*, si quid sentio, efferre licuit *minstremus,* quod cum Oscorum lingua, tum usus posteriorum confirmat [7]; *potestatem*, *postatem*, veluti *posse* pro *potesse, venustatem, venstatem*, seu *vestatem e* producta quomodo *mostellum* dixerant quod fuerat *monestellum*. Et cum *n* ita obscuro esset sono, ut facile cum praecedente vocali coalesceret, est quod *voluntatem* fere *volutatem* [8] seu *voltatem* sonuisse putes. Quanquam nec elisae *l* exempla desunt [9] : itaque *vuntatem* haud gravate, et simili modo *voptatem*, pro *voluptatem* probaverim, et eo quidem libentius quod ita

(1) Corssen, II, 512-3. Schuchardt, II, 428. *Vercundus, felcissimi.*

(2) L. Mueller, De re metrica, 353.

(3) Schuchardt, II, 508. Cf. Corssen, I, 90. II, 683, Kuehner, p. 131.

(4) Schuchardt, II, 508, 512.

(5) Truc., II, 3-15.

(6) Schuchardt, II, 441.

(7) *Minstreis* (minores). Fleckeisen., N. Jahrb., LX, 261 Schuchardt, II, 428, *sinsterior.*

(8) Cf. Edon, p.. 251.

(9) Schuchardt, II, 492, *rinquetur* (relinq.) *regio* (reli.) *feiciter* (feli) Et antiqui *vis* dixerunt pro *volis.*

litterae necessariae servantur et alterum distinguitur ab altero : nec non *fertarii* et *settarii* pro iis quae sunt *ferentarii, sedentarii ;* quo fit ut haec omnia praecedentibus melius respondeant. Neque enim ignoro alia de his posse proponi, et exemplis confirmari : nam si cui tot vocabulorum formas aut sermonum diversitate ortas aut loquentium rusticitate scribentiumve imperitia corruptas seligere atque ex thesauris Schuchardtii depromere libuerit, quid est, quaeso, quod afferri non possit ? Sed antiquam verborum analogiam sequi, quantum liceret, et linguarum recentiorum normam et ipsam loquendi facilitatem observare tutius duximus ; natura enim sic comparatum est, ut vocales graves eximantur, semivocales effluant, consonantes subtractis vocalibus collidantur et evanescant : nec si *magister* aut alia pauca hujus modi (1) lapidibus inscripta invenimus, eo putamus illud coargui quod latinitatis, ni fallor, sensu quodam, italorumque et gallorum atque etiam germanorum usu comprobatur (2).

Syllabae vero acutam insequentes cum eadem ratione regerentur, multas vocales natura longas in fine dictionum pro brevibus haberi potuisse credendum est. *Immo*, quod in sermone frequentissime occurrebat, omnes sane ulteriore fere correpta, plebs, ut opinor, fere ablata pronuntiabat : sed hujus licentiae exempla non multa exstant, et quae sua venia excusentur. Abscissa *s* littera vocalis *i* praecedens non modo breviabatur (qua de causa Ennius *multimodis* (3) pro choriambo posuit), sed etiam tollebatur. Veteres enim teste Tullio *sine voca-*

(1) Edon, p. 255.
(2) Ital. *maestro*, fr. gall. *maistre*, germanice *meister*.
(3) Cic. De Or., III, 58. — Cf. Corssen, II, 655.

libus contrahebant (1), ut *tect fractis, vas argenteis, palm* et *crinibus* dicerent, in quibus observandum est, quod et in vocibus iambicis animadvertimus, damnum amissae syllabae vicinitate similis terminationis resarciri. Accentuum quoque vulgaris transmutatio vocabulorum formas et quantitates corruperat : velut *dixti, traxe, quaestor* (2) et sescenta hujus generis concisa sunt, et quaedam paenultinam olim longam corripuerunt, ut *herbidus* (3) *medicus, illius, perjero, cognitus, pronuba, emerunt :* Terentius autem *attingas* in fine senarii posuit pro cretico, eademque ratione *ablutum elutum* brevi paenultima posteriores dixerunt (4). His initiis inducti non possumus non credere voces nonnullas alio apud veteres, alio apud Romanos aetatis Augusteae spatio fuisse ; sicut et in lingua nostra de numero syllabarum in singulis vocabulis inter omnes non constat, sed aliud alii saeculo placuit, aliud alii homines etiam nunc probant (5). Nihil est igitur quod, si id metrum postulare videbitur, scaenicis poetis *abjero, formicis, plebius,* quod est a *plebe* ut *fidius* a *fide, dius* a *die,* adscribere dubitemus. At enim paenultima si positione sit longa, corripi non potest. Tum quidem profecto altera consonantium debuit subtrahi ; quae ubi inter se coierant, ut in *accumbo*, nulla jam erat positio : quare *indemnis, consentit, impingit, praefectus* (6) ut quae *n* vel *c* litteram reipsa amisissent bre-

(1) *Id.* Orat. XLV, Hic locus non intellegitur, nisi scribis *mult modis, tect fractis.* non *multi modis, tecti fractis*

(2) Verg. Aen V, 786. Cf. Corssen, II, 553.

(3) Corssen, II, 203, 512,900.

(4) Andr., 789. Cf. L. Mueller, De re metrica, p. 349

(5) Weil et Benloew, p. 227. Quicherat. Traité de Vers. fr. 299, 337, 341. Havet. De vers. Sat., 49, adn., 2.

(6) Edon., p. 259, 260. *Sortus* quod antiqui ponebant pro *surrectus* (Fest. 297) vocalem etiam amisit, ut *prorsum* (*prorusum*).

viata paenultima efferebantur. Accentum enim in antepaenultimam transpositum fuisse corruptio vocalis demonstrat : sed hoc fieri nefas fuit, ubi secunda a fine syllaba producebatur.

Hanc autem apparet corripi vix potuisse, ubi natura et positione longa erat (aegre enim *enerrat* dixissent pro *enarrat*) aut iis consonantibus constabat quae in unum aegre coirent. Sunt autem syllabae quae non videantur breviari : qui enim *monstraro* prima correpta pronunties? Sed in talibus vocabulis accentus vis est duplex. Hoc illa vulgaris loquendi segnitia efficit, ut, quemadmodum vox graves syllaba velocius praeterlabitur (qua de causa longas postrema litterarum aetas saepe corripuit) (1), sic etiam acutis, a quibus celeriter recedere sine aliquo labore non potest, neglegentius immoretur, easque reddat longiores. Itaque postea multae vocales breves productae sunt : cujus licentiae parva initia apud veteres deprehendimus (2). Nam quod Quintilianus monet vocis *volucres* in fine hexametri positae paenultimam esse acuendam, ne brevis esse videatur (3), nonne eo probatur accentus virtute nonnihil ponderis ei accessisse, ita ut positionis debilitas quodammodo suppleretur ? Quod facile intellegetur, si syllabas acutas observaveris ferme non breviari nisi aegre ac praesertim adjuvante analogia : si quidem *proripit reddit* difficilius quam *profundit relatum* primam syllabam, ut hoc fieri possit, corripiant (nam *retulit* ceteraque ejus generis ad similitudinem eorum quae sunt *referre referebam relatum* breviata sunt), quem ad modum *decipio* non *decapio*, quod antiquitus in pluribus

(1) Cf. Weil et Benloew, p. 254 sq.
(2) *Ibid.*, p. 163.
(3) Inst. Or. I, 5, 28.

hujus verbi personis littera *a* quasi praesidio suo orbata minus vigeret, dicere consueverunt. Fulciunt quippe toni verborum quantitatem ; itaque syllabas longas quae accentu efferebantur, naturali de causa, cum singulis earum elementis vocis intentione spatium accresceret, verisimile est gravibus fuisse paulo longiores ; et quod, quantum his demebatur, tantum illis addebatur momenti, poterat spondeus in ulteriore acutus sive pro spondeo sive pro iambo, prout loquenti libebat, haberi, nunquam pro trochaeo. Nihil enim ad rem metricam interest, quantus sit in singulis pedibus syllabarum ambitus, modo arsis et thesis pro rata parte intervallis distinguantur : ideoque *destrictus* et *disertus*, si media proximis duplo longior esse videatur, eamdem mensuram possunt implere, sicut etiam *bibensque* [1] et *bibitque*, quanquam illa priora spatio majora sunt, ut in quibus vocalem natura longam tres consonantes insequantur.

Hoc etiam genere vocabula quaedam vulgo pro compositis habita continentur. *Admodum*, *illico*, *major natu* uno accentu efferebant ; sed usus vulgaris loquentium arbitrio sane plura permiserat, quam doctrina grammaticorum. *Nihilo plus*, *inter se erga me* uno tenore pronuntiata esse Ritschelius confirmavit [2]. Quo fiebat ut illa, quod ad quantitatem syllabarum pertinet, iisdem legibus quibus voces in spondeum exeuntes regerentur.

---

(1) Edon., 195-199.

(2) Ad Bacchid. v. 852. Cf. Proleg., p. ccxxii, op. phil. vol. V, p. 457.

§ 5.

Jam recognitis vocibus quae certos habebant accentus, ad eas transeundum est quas duplici modo licebat enuntiare. Itaque pronominis *iste* formas exempta priore vocali vel scripserunt auctores optimi (1), Cicero, Vergilius, Horatius : ejusdem vero condicionis videntur fuisse *ille*, quod *ellum* (2) pro *en illum* posuit Plautus, *ipse*, si analogiam sequaris, *ego*, ut apud Graecos saepius, nec non *ibi* et *eccum* ; quae quidem ad vulgarem sermonem esse referenda linguae romanae confirmant (3). *Esse* eadem ratione *e* principialem abjecisse existimes, quod *sum*, *sumus*, *sunt* olim ab illa littera incipiebant (4) et *est* praecedente vocali vel syllaba *um* idem partitur ; sed hanc vocem et altera *s* exempta pro pyrrichio positam esse non infitier, quia hoc modo et aliarum sequitur similitudinem, et posterioribus duarum brevium spatium implere visa est (5).

Ceterum tam multa vocabula per aphaeresin posteriores videntur (6) pronuntiasse ut talia veteribus assignare non dubitemus. Exempla inspicienti statim apparet vocalem praesertim acutae syllabae proximam (7) et in illis potissimum dictionibus, quae a praepositionibus

(1) Lachmann ad Lucret., III, 954.

(2) Bacchid, 938.

(3) Fr. gal. *le*, *je*, *cel*; ital. *vi*. Cf. Schuchardt, II, 382.

(4) Weil et Benloew, p. 174.

(5) Diom, K. 69.

(6) Schuchardt, II, 365, sq.

(7) Id in syllaba accentu vel secundario expressa fieri non par erat : quare in Truculento qui *rabonem* dicit *arrabonem* ridetur ut abjectior, cum hoc in more positum esset, ut, si contrahere vellent, *arbonem* potius pronuntiarent.

in ex ordiuntur [1], frequentius esse detractam : qua propter verba hoc modo truncari potuisse crediderim.

Apocope vocalium crebro occurrebat, ut supra declaravimus, consonantium non item ; quam qui abjectissimi sermonis reliquiis quibusdam inducti admittunt [2], non reputant illas in fine vocum sine damno aut etiam exitio sententiae abscindi potuisse. Sed quos intra fines consistendum sit scriptores ipsi indicant, qui *s* et *d* litteras a veteribus non raro abjectas esse testantur. Hanc licentiam cum vulgari usu longius progredi aequum esset, *quis*, *quid*, *quod* [3], *ecquis*, *numquis*, *sed* detracta consonante terminali enuntiabant ; ex quo quidem nulla oriebatur verborum obscuritas, cum et nos similia quaedam per unam consonantem proferamus et perfacile intellegamus. Interdum etiam in fine dictionum syllaba *um* omnino evanescebat ; si quidem, *perendie* dixerunt quod fuit *per unum diem*, Plautus autem *vas* pro *vasum* scripsit, Ennius *cael* et *gau* pro *caelum* et *gaudium*, sed praeposito adjectivo ne quid esset ambiguum : quae vulgares videntur fuisse formae, non, ut quibusdam placuit, artis ludibria [4]. Ceterum hoc modo multae voces eamdem syllabam abjecerunt, qualia sunt *nihilum*, *noenum*, *donicum* et adverbia in *er* exeuntia [5] ; quo fit ut talia apud plebem magis increbuisse et a poetis comicis usurpata esse jure conjicias.

Synizesis multo frequentior : sed exempla multa, quod

(1) Schuchardt, II, 367-370.

(2) Ritschl. Rh. Mus. XIV. 397. W. Wagner. *Id.* XXII, 423. Christ. *Id.* XXIII, 565. Brix, Praef. ad Trin., p. 13.

(3) Quod Buecheler probavit. Decl. lat. (Havet), p. 49.

(4) Plaut. Truc., I, 33. Enn. Ann. 561-451. Corssen, II, 594.

(5) *Ibid*

pleraque cum dactylicorum usu tum doctorum opera satis illustrata essent [1], proferre praetermisimus. Ut igitur ea tantum attingamus, quae ad sermonem potissimum referri possunt, *e* cum altera vocali insequente saepius coalescebat, quia in sonum *i* litterae vulgo tenuabatur [2]: itaque *jubeo caveas* in hexametris vetustioribus [3] pro spondeis posita inveniuntur. *Eum* et *meum* si dixeris *ium* et *mium*, deinde *i* consonantem esse statueris, facile intelleges collisione tantum non exteri. Nam semivocalem modo pro consonante accipiebant, ut *avium*, *abiete*, *arietat* [4] producta syllaba principiali enuntiarent, modo pro vocali, ut *omnia* spondei spatium aequaret, *oriundi* [5] in vocem trisyllabam coiret, *progredior* autem et *conficio* accentum in quartam a fine syllabam retraxisse videantur. Erat etiam ubi illa omnino delitesceret ac ne scriberetur quidem, sicut *semianimum* per ecthlipsin dixerunt *semanimum*, Accius [6] autem *augura*, elisis postremis vocalibus. Inde et genetivis olim in *ium* exeuntibus, et illis quae sunt *eveniat*, *adveniat*, *perveniat* [7] *i* subtracta est. *V* quoque littera saepe elidebatur, qua de causa *amasti*, *decuria*, *contione*, pro *amavisti*, *decuviria*, *coventione* [8] efferebant, idque eo facilius, quod diphthongos ab illa incipientes Romani videntur repudiasse; quo fit ut *injuria*, *invitus*, *invidia*,

---

(1) Corssen, II, 753, — Kuehner, p 93.

(2) Schuchardt, II, 424.

(3) Ritschl, Rhein. Mus., XIV, 407 (Sortes Praenest).

(4) Enn. An. 97. Virg. Aen., II, 16, 492, e. a. Cf. Corssen, II, 754

(5) Lachmann ad Lucret, II. 991

(6) Accius ap. Non., 488, 3. — Corssen, II, 687. — Schuchardt, II, 444, sq.

(7) Ritschl. Proleg., 88, 162, 212.

(8) Corssen, II, 683. Schuchardt, II, 464

(hoc enim Prisciani auctoritate confirmatur) [1], exempta semivocali, ideoque breviata syllaba praecedente pronuntiari potuisse credamus.

Quaeri autem potest, possitne syllaba positione longa eademque acuta breviari. Id quidem credo ferme non potuisse fieri nisi per analogiam, ut *pronuba profugus* prima correpta dixerunt, quemadmodum et *profundo prolabor*. Sed quod geminata consonans velocius efferendo pro una facile accipitur, ita ut *hodie* pro *hoddie*, *cedo* pro *ceddo* (*cedito*) dicerent, *m n* licuit in verbis hujus generis, qualia sunt *tollit redde quippe immo* sublata altera consonante primam breviari. Et quod eadem ratione *mn* in unam litteram saepe coalescebant, (unde Quintilianus *columnam* exempta *n* legi [2] et Priscianus *i* ante *u* posita, ut in *Ramnes*, communem fieri syllabam affirmat) [3], apud comicos similia vocabula, ut *omnes damnet*, iamborum mensuram aequabant.

Porro ea quae ad singula vocabula attinent absoluturo pauca dicenda sunt de vulgari quantitate vocularum monosyllabarum. Ex quibus conjunctionem *si* et ea quae sunt *me*, *tu*, apud dactylicos longam forsitan comicis licuerit breviare : quae cum per se minimum ponderis haberent, sed proclisis jure ferme insequentibus adhaererent, par fuit corripi, ut *sit*, quod est a verbo *esse*. Idem dixerim de praepositionibus *in*, *ab*, *ad* ; sed alia est, ut videtur, correptionis causa, extra ipsum vocabulum indaganda.

---

(1) K, p. 17. Apud Latinos, V invenitur pro nihilo in metris, et maxime apud vetustissimos comicorum, ut Terentius in Andria « Sine invidia laudem invenias et amicos pares. » Est nam iambicum trimetrum : quod nisi « sine ivi » pro tribracho accipiatur, stare versus non potest.

(2) Inst. or., I, 7, 29.

(3) K., p. 551.

Superest enim ut ad illa veniamus quae inter binas voces fieri possunt (non collisiones dico verborum aut hiatum, de quibus quaestio metrica habenda est), sed consonantium *assimulationem*, qua non medias tantum vocabularum litteras, verum etiam finales insequentium causa in omni sermone mutari necesse est. Itaque *cum nobis*, quod obscenum sonaret, veteres dicere noluerunt (1), et *af vobis*, quod est ejusdem generis, in antiquo monumento legitur (2). Consonantes autem adjuvante hac similitudine in unam vocem facile coalescunt; quo factum est ut *omitto* priorem syllabam haberet brevem. Hoc idem si cui aequum videtur inter duas consonantes alteram desinentis alteram incipientis vocabuli accidisse, facile intelleget, hoc modo saepius immutatam esse quantitatem, cum in iis quae sunt *ab sodali, ad portam, dum quidem, ut facere, pol quidem*, inflexis ad sonum insequentis litterae, deinde extritis *b d m t l* prima syllaba corriperetur. Has autem particulas nota fuisse usitatissimas; quo minus mirere in vulgaribus monumentis, nisi forte in eo peccavit doctorum opera, fere abesse vitia scripturae ad hoc genus pertinentia; neque enim vel inter imperitissimos scribentium quisquam inveniebatur ab ipsis orthographiae elementis ita alienus, qui voces frequentissimo usu detritas, cum imminueret pronuntiando, mendosa etiam scriptura deformaret.

IV.

Jam vero ut, quae de prosodia seu vulgari pronuntiatione disseruimus breviter contrahamus, vigebant anti-

---

(1) Cic. Orat. XLV., 154. — Cf. Schuchardt. I. 146.

(2) Epist. praetoris ad Tiburtes, C. I. L. I, 201.

quitus quadam ex parte leges illae, quarum virtute lingua latina postea commutata est. Vocalem brevem non pluribus consonantibus impeditam et alteri acutae proximam vel cultiores loquendo praetermittere, eademque ratione longam fere corripere, tum consonantes per assimulationem minuere atque exterere solebant; humiliore autem sermone utentibus vocabula asperius concidere licebat: atque ut sit una vocalis brevis pro una *mora*, consonans pro *semimora*, illi vocabulis unam moram, hi duas interdum detrahebant. Sed non ultra hos fines, neque fere extra syllabas acutae adjacentes (nam si quae secus esse videntur, analogiae pleraque tribuenda sunt) illa licentia evagata est. Haec ad normam musicorum nequis exigere velit : fugienda est enim, ut in re vulgari, omnis argumentandi subtilitas. In sermone quidem multa vaga dubiaque sunt, quod et nos etiam nunc sentimus; et illa aetate syllabarum neque numerus neque spatia certo modo praefinita erant : sed vocabula in metris composita numeros certos et plenos, quod et ipsum plebi maxime placet, haud dubie efficiebant. Toni quoque vulgo commutabantur, praesertim quod contrahendi studio voces multae in novas formas vertebantur. Ea denique erat vis accentus, ut ex binis syllabis longis quarum prior gravaretur iambus quidam latinorum proprius fieri posset. In summa non illae utique verborum quantitates observabantur quas curiosior doctiorum diligentia postea circumscripsit. Unde apparet quid de iis sit judicandum, qui cum gentilia quaedam sua ad veteres Romanos transferrent, poetas scaenicos non modo quantitatem respexisse, sed etiam consulto cavisse contenderunt (1), ut accentus cum ictu concineret, tanquam

(1) Voss., De poematum cantu et viribus rhythmi, p. 32. — Bentley,

utriusque rei distincta esset ratio. Nihil est enim cur illos duplici disciplinae astrictos fuisse censeamus : sed syllabas pro mensura cujusque componere non potuerunt, quin multae tonorum consequerentur observantiae (1), ita ut *magna ex parte accentus pro fundamento non artis metricae sed prosodiae recte habeantur* : quod superest ut ipsis exemplis confirmemus.

De metris Terentianis schediasma in edit. Tauchnitz., p. 23. — Hermann. Elem. doct. met., p. 64. Epit. doct metr., § 100. — Ritschl. Proleg. cap. XV. — Langen. N. Iarhb. LXXIX, 51. — Cf. Weil et Benlœw, p. 78, Adn.

(1) Prisc. K. 521. In interjectionibus et peregrinis verbis et in barbaris nominibus nulli sunt certi accentus, ideoque in potestate uniuscujusque consistit ut, quomodo *necessarium* viderit, sic *in metro* ponat. — Cf. p. 593. *Illic* quasi apocopa facta in fine servat accentum : Terentius in Andria : *illic est huic rei caput.*

PARS II.

DE RE METRICA.

I.

DE LICENTIA COMICORUM.

Has ad rationes tragoediarum ac praesertim comoediarum scriptores, ut qui sumpta de medio proferrent, versus suos panxerunt ; unde satis intellegitur quare in observandis vocum quantitatibus a consuetudine posteriorum recesserint. Itaque si nostra illa recte habent, omnis scandendi difficultas, quantum in re tam varia atque etiam infinita fieri licet, per illa tolletur ; et quoniam hoc metri genus nullum pedem quattuor temporibus longiorem recipit, necesse est, ut si qui tales inveniantur, eos velociori pronuntiatione breviatos esse credamus. Contrahuntur autem vocabula vel partes vocabulorum, ut supra declaratum est, per syncopen, elisionem, apocopen, aphaeresin, synizesin, correptionem syllabarum : quo ex ordine exempla e comicis deprompta componemus.

§ 1.

SYNCOPE.

Capt. prol. 8. Alt*e*rum quadrimum puerum... [1].

---

(1) Italicis typis impressae sunt litterae quae videntur delituisse, crassioribus distinguuntur vocales quae arsi et accentu efferuntur.

Adelph. prol. 4. Indicio de se ipse er*i*t, vos eritis judices.

Hec. prol. 40. Meae auctor*i*tati fautrix adjutrixque sit.

Poen. V. 6, 11. Nem*i*nem venire qui istas adsereret manu.

Pseud. 772. Parvis magnisque min*i*steriis praefulcior.

Trin. 127. Ded*i*stin argentum? Factum neque facti piget.

Ad. 73. Stud*e*t par referre.

Most. 648. Sed arraboni ded*i*t quadraginta minas

Ad. 154. Volo scire atque hominem convenire, si apud (*app*) forum est.

Ad. 900. Stu*de*nt facere; in adparando consumunt diem.

Men. 510. Dedi nec pallam surpui. — Satin (*san*) sanus es?

Rud. 477. Ma*g*istratus, si quis...

Merc, 548. Vo*lu*ptate, vino, amore delectavero.

Sunt vero quae accentum mutaverint :

Men. 661. Te od*i*sse aeque atque anguis. Egon istuc dixi tibi.

Most. 504. Scel*e*stae hae sunt aedes...

§ 2.

ELISIO.

Pseud. 812. Bo*v*es qui convivas faciant...

Curc. 38. Ju*v*entute et pueris...

Andr. 52. Liberius vi*v*endi fuit potestas; nam antea.

§ 3.

APOCOPE.

Trin. 1,101. Tuae quae daretur, se*d* intus narrabo tibi.

Ibid. 1,093. Qui*d* hoc hic clamoris [1]...

Ibid. 218. Un*de* quidqui*d* auditum dicant, nisi id appareat.

Truc. 333. Qu*id* iam (litteram *i* pro vocali accipio) me revocabas...

Aul. 85. Mir*um* quin tua nunc me causa faciat Juppiter.

Pers. 137. Sicut istic leno nond*um* sex menses Megaribus.

Trin. 446. (A.) Bon*is* tuis in rebus meas res inrides malas.

Eun. Prol. 8. Ex Graec*is* bonis latinas non fecit bonas.

Possunt quidem haec aliter legi : nimirum olim ne puero quidem negotium facessebant ; sed quis nunc tam doctus est, qui illa certa ratione restituat?

§ 4.

APHAERESIS.

Truc. 46. Si iratum scortum forte est [2] amatori suo.

Eun. 494. *E*go hinc abeo.

---

(1) Corssen, 630-635-644.

(2) Legendum *fors'st*, ut etiam Asin. 794 : Fors si tussire coepit, ne sic tussiat.

Ibid. 159. *E*go *e*xcludor (scludor).

Andr. 384. *E*gon dicam...

Mil. 1094. Quid mihi nunc *e*s auctor...

§ 5.

SYNIZESIS.

Trin. 200. Neque mendaciloqu*iu*s neque adeo argutum magis.

Cas. II, 5, 21. Inimica est *tua* uxor mihi, inimicus filius.

Rud. 1194. Ergo *eum* ad*eo* arcessi huc ad me quamprimum volo.

§ 6.

CORREPTIO.

A. — Syllabae natura longae :

Phorm. 902. Quid ad me ibatis ? ridiculum ver*e*bamini.

Epid. 405. Pud*i*cit*ia*m quisquam suae servare filiae.

Andr. prol. 11. Non ita dissimili sunt arg*u*mento, sed tamen.

Argumentum vocalem longam non modo corripuit sed etiam abjecit ut *augmentum* quod est ab *augendo*.

Hec. 697. Dab*o* jusjurandum...

Merc. 778. Dar*i* potest interea...

B. — Syllabae positione productae :

Phorm. I, 2, 100. Et a*d* portitores...

Bacch. 187. Salutem tibi a*b* sodali solidam nuntio.

Stich. 418. Age a*b*duce hasce intro, quas mecum adduxi, Stiche.

Amph. 143. Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab e*x*ercitu (esercitu).

Capt. prol. 49. Ut i*n* servitute...

Phorm. 439. Dicam tibi i*m*pingam grandem...

Ibid. 425. Aut quide*m* cum uxore... Capt. 152. Ego i*l*lis captivis.

Poen., V, 3, 26. Tace atque parce muliebri supe*l*lectili.

Stich. 179. Per an*n*onam caram dicit me natum pater.

Cap. 105. I*l*le demum antiquis est adulescens moribus.

Stich. 768. Red*d*e cantionem veteri pro vino novam.

Merc. 737. Im*m*o sic sequestro mihi data est. — Intellego.

Rud. 87. Ita om*n*es de tecto deturbavit tegulas (1).

Asin. arg. 2. Sub i*m*peri*o* vivens volt senex uxorio.

Andr. 466. Bonum i*n*g**e**nium narras...

§ 7.

Est aûtem ubi plures licentiae occurrant ut in talibus :

Andr. 66. Sine invid*ia* **lau**dem...

Trin. 96. Si i*d* me non accusas t*u*te i*p*se objurgandus es. — Scio.

Marc. 699. Se*d* quĭnam hinc (2) a nobis exit ? Aperitur foris.

Amph. 32. Propterea pace a*d*veni*o* et pacem ad vos ad fero.

Enn. Ribb. 67. E*x* (*es*) i*n*c**e**rtis certos compotesque consili.

---

(1) V. Edon, p. 253.

(2) *Tute ipse*, pro pyrrhichio, *sed quinam hinc* pro anapaesto accipiendum esse puto.

Poen. 419. Per*que* m*eo*s amores perque Adelphasium meum.

Bacch. 581. Fores pultare nescis — Ecquis his *in* aedibus *e*st.

Capt. 703. Votavin (*votuin*) te quisquam mihi (*mi*) hodie falsum proloqui.

Multa vero etiam duplici modo possunt enuntiari, quod horum exemplorum nonnulla ostendunt : et quidem usus anceps artem vulgarem arguit.

Hic quisquam tam mira proferre audentem increpat : Quasnam, inquit, dicemus esse has beluas? aut quis hic barbarismos cum portentis concoctos nauseare nos jubet? Tum praestigias appellare et glaucomata, nec non asperitates verborum Polonicis auribus vix tolerabiles salibus latinis immixtas indignari. Neque mehercule injuria. Ea enim de sermone et veterum poetarum licentia vel optimi auctores tradiderunt, ut horridas vocabulorum imagines comicis abjudicare minime cupiamus : sed etiam, si illae absint, miremur. Sic enim Sisenna [1] in commentario Aulularlae Plautinae : *Haec scaena anapaestico metro est, sed concisa sunt ut non intellegas.* Quibus, ni fallor, significat scriptor florentissimus vocabula multa tanquam caedendo contracta a legentibus ad normam recitationis sine operosa diligentia non potuisse exigi. Ea quanquam de metro licentiore dicta sunt, profecto quadam ex parte ad senarios pertinent, quod mihi quidem Cicero testari videtur his verbis [2] : *Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe*

(1) Ap. Rufinum K., p. 561. — De Sisenna, Cf. Ritschl. Parerga, p. 377.

(2) Orator. LV.

sunt abjecti ut nonnunquam vix in eis numerus et versus intellegi possit. Hunc locum vulgo interpretantur, quasi numeri dicantur laxi et soluti ; sed cum de sermone agatur, non de oratione, et apud Tullium *abjectus* idem soleat valere quod *humilis* et *submissus* (1), vox illa non ad ipsa metra, sed ad dictiones vulgari modo comminutas referenda est. Illi autem versus qui aegre intellecti sint, ex eo liquet, quod etiam nunc carminum a nostratibus simili modo conditorum artem interdum non ita facile dispicimus, seu legentis animus restituendae pronuntiationis labore defatigatur, sive mensura vocabulorum a norma scripturae longius recedens aurium jam cultiorum judicio minus probatur. Sed illa sane ad legentes spectant, ne ille sibi parum constare credatur, qui alio loco scripserit *si in numeris paullum modo offensum sit, tota theatra reclamare* (2). Monstra igitur isti licet appellent, quae abjecta visa sunt Ciceroni. Praeterea idem alias : *Apud comicos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud cotidiani dissimile sermonis* (3). Quid autem sermo differat ab oratione scripta, ipse declarat (4) : « *Videndum est, ut verba et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit... nolo litteras obscurari neglegentius... nolo verba exanimata finire.* Similiter Quintilianus (5) : « Dilucida erit pronun-

---

(1) De Fin. V, 22. « Nihil *abjectum*, nihil humile cogitare ». Orat., LVII. — Neque humilem nec *abjectam* orationem. — De off. I, 34. Neque submissum et *abjectum*, neque se efferentem. — Brut. LXII. Q. Varius, verbis nec inops nec *abjectus*.

(2) De Or., III. 50.— *Ibid.* 51. In versu vulgus, si est peccatum, videt.

(3) Orat. XX.

(4) De Or. III. 11.

(5) Inst. orat. XI, 3. 33.

tiatio primum, si verba tota exierint, quorum pars devorari, pars destitui solet, plerisque extremas syllabas non perferentibus, dum priorum sono indulgent. » Agnoscis imprimis syncopen et apocopen et ecthlipsin in omni sermone scatentes, ideoque minime admirandas. Item declarat Priscianus comicos poetas omnes crebris synaliphis et episynaliphis esse usos scandendo versus suos (1); eodemque valent haec Marii Victorini : « Omnis versus ab integra parte orationis incipit et in integram desinit exceptis his, quae in comoediis joculariter dicta corrupta aut semiplena efferuntur (2). » At nec desunt exempla ab illis ipsis prolata ; ita enim Victorinus : « Sane accidit nonnunquam ut pro anapaesto aut dactylo aut spondeo quattuor breves primo pede pronantur, tanquam :

Beneficia pro re colere sapientis viri est ;

qui aut per synaliphen scanditur aut duabus brevibus in unam longam copulatis explicatur (3). » Prisciani vero verba supra apposuimus affirmantis *invidia* per ecthlipsin primam syllabam habere brevem (4). Etsi neque multa exempla neque in omni genere protulerunt grammatici, quod vulgarem pronuntiationem in promptu esset volentibus deprehendere, certe illi tantum non videntur asseverare senarios ad illud antiquorum praeceptum fuisse conditos, qui aiebant « scribi quidem omnibus litteris oportere, in enuntiando autem quasdam litteras elidi (5). » Quid quod *metaplasmo* quem grammatici

(1) K. II. 421.
(2) K. 56
(3) K. 133
(4) P. 31.
(5) Mar. Vict. K., p. 22.

vocant, et optimis poetis metri causa, ut aiunt, probato [1], comici nihil aliud quam frequentius ac licentius, ut par fuit, usi sunt? Illi enim sunt barbarismi, qui ut alii per adjectionem, sic per detractionem litterae aut syllabae aut temporis fieri solebant : sed illos philologi cum minime respuant, hos mirum est qua formidine horrescant, quasi, quibus multa per prosthesin, parenthesin, prosparalepsin, ectasin dicere licuerit, iisdem per aphaeresin, apocopen, syncopen, systolen quicquam proferre fuerit nefas [2]. Ceterum quivis etiam nunc e nostratibus vel elegantior sermonem suum introspiciat : eadem fere vitia, si modo vitia sunt, effundere se animadvertet, et vocalem *e* praesertim tollere etiam si a consonante excipitur, et multa poetarum legibus repugnantia admittere; quae sibi si vel doctissimus quisque indulget, quid rudibus aetate Plautina Romanis similia atque etiam asperiora deneganda esse existimet?

II.

DE OBSERVANTIIS PEDUM ET ACCENTUUM RATIONE.

Sed ut in viam redeamus, omnes pedes qui in senariis occurrunt sive scripti sive e longioribus contracti proprias quasdam habent observantias : de quibus inquirenti visum est Plauti et Terentii et Phaedri rationes

---

(1) Velut Priscianus (K. I. 32) Vergilio, quod apud latinos vim susam frequenter amitteret, talem versum imputavit :

« Inter se coiisse virosque discernere ferro ».

Quem ad locum (Aen. XII. 709) Servius adnotavit vere scribi *et cernere*, legi autem a posterioribus *et decernere*; secundum quam lectionem synaloepha, ut ait, opus est, sed excluso *os*, ut sit :

« Inter se coiisse *vir*, et decernere ferro. »

(2) Cf. Charisius. K. p. 277, sq.

metricas potissimum respicere. Fragmentis enim, exceptis iis quae non breviora sunt, maxime diffidendum est, quod et his vitia multa facile irrepserunt, et numeri saepius multis modis possunt inverti. At Phaedrus arte ipsa, cujus natura non fuit multiplex, nihil fere differt a comicis, et si plura elegantiae, eadem necessitati tribuit. Sunt enim quae et hic et illi haud dubie repudiaverint : sed metris hujus ad certam prosodiae normam exactis placita veterum ob ambiguitatem pronuntiationis interdum obscura illustrantur; praeterea in tot carminibus ob numerum et continuationem versuum minus suspectis et a Luciano Muellero optime editis integrum senarii italici florem licet delibare.

§ 1.

DE LOCIS IMPARIBUS.

Ab imparibus locis incipiemus. Spondeus cum ex binis longis, utracumque acueretur, constare posset, nulla est in hoc pede accentuum observatio, ubi in sedes primam et quintam admittitur : nam de tertia infra erit dicendum. Ceteris autem pedibus spatio paribus id non aeque accidit : quorum si quis normam perspicere velit, reputet, quod alio loco declaravimus, vocalem aut etiam syllabam brevem alteri acutae proximam in sermone solitam esse subtrahi.

Anapaestus ab iambo longius recedit quam spondeus, cum major sit offensio breves duas pro una poni quam longam. Itaque non toleratur pes hujus generis, si ambae illae integro sono exprimuntur. Id autem evenit ubi aut neutra, aut utraque aut ulterior tantum acuitur,

ut in teg*mine fagi*, arm*a virum*, *bene habens*, cum nihil sit cur talibus quicquam pronuntiatione detrahatur. Cavendum est autem ne specie fallamur, nam *quid ais*, *prope adest*, config*e sagittis* et alia hujus modi si apud comicos occurrant, statuendi sunt iambi vel tribrachi. In hoc versu :

Trivio conceptus *et* educatus stercore (Phaed I. 27, 11), possitne aphaeresis quaedam vocalis alioqui infirmae Phaedro imputari, docti viderint. Neque a lege discessisse comicos ex talibus exemplis conicias :

Ita omnes | de tecto..... (Rud., 87).

Quia omnis | bonos..... (Trin., 78).

Sine omni | periclo..... (Andr., 391).

Nam vox *omnis* frequentissimo usu detrita accentu non efferebatur, quo factum est ut priorem syllabam facile corriperet : at *sine omni* unam fuisse partem orationis ut *illico*, eoque jure in prima syllaba magis quam in secunda viguisse non aegre concesseris ; nisi forte verum anapaestum in primum pedem quod alioqui licentiarum aiunt esse receptaculum, comici admiserunt.

Jam vero ad illos anapaestos transeamus, qui imminuta ob priorem acutam ulteriore cum in spatium brevius possint contrahi, pro legitimis habentur. Horum genera sunt tria, non aeque frequentia : nam quo facilius posterior illa sine specie rusticitatis delitescebat, eo elegantiores fiebant numeri : exempla autem singulorum habes haecce : *male opert*um, *ego jam*, *animum*. Ac primo quidem thesin inter duo vocabula raro diviserunt, quia principes syllabae aegrius enuntiando exanimantur, ut in his *age abdu*ce (Stich., 418) *ibi extem*plo. Poen., 733, *sine omni* (v. s.). Sed leniora sane haec Phaedri : *neque enim* (III. prol. 49 in quo *e* profecto non acuebatur)

*domum et or*namenta (IV, 5, 34) ; fortasse etiam tolerandum *et ades*set (App., II, 8.) : *virum ut in* re (Id. 8, 21). Eamdem thesin disyllaba voce saepe contineri apud comicos nulla est offensio, cum vox ejus modi in priore vocali acuta in unam syllabam vulgo posset coire ; apud eos autem, qui arte sunt perfectiores, talis licentia non probanda erat, nisi vel in sermone cultiorum vocalis posterior facile aut tollebatur ut in *erit ut*ilis (Phaed., III, 14, 11) *rapere atq*ue, 14, 22, 8, aut cum insequente coalescebat ut *ruit Il*ium (III, 10, 4) ; idque verbis usitatissimis qualia sunt *ego, simul, bene, ita, ubi* imprimis videtur accidisse. Sed omnium multo frequentissimi sunt anapaesti, qui uno vocabulo aut unius vocabuli parte constant et in prima syllaba accentum habent, ut con*silium, animos, humiles*, qui delitescente altera spondeis fiunt simillimi.

In dactylis eadem aequum fuit observari. Itaque *arma vi*rum, om*nes mala*que, *linquitur* pedes non legitimos efficiunt ut quibus nihil possit adimi : nam si quae hujus generis apud comicos occurrunt, restituta pronuntiandi ratione sunt persananda. Alia ad spondeos rediguntur per synizesin ut *omnia* (Trin., 186, Bacch., 744) *Demea* (Adel. arg., 10) ; alia per syncopen et vocalis productionem aut pristina consuetudine, aut arsi, aut aspiratione excusatam, ut *omnibūs* amicis (Trin., 54 *consulīt* advorsum (1), 205, *militīs* amicam 396, *nullā ju*ventutis, Capt., I, 2, 19, *nullūs ho*mo. Bacch., 769. *Illā qui*dem nullum Stich., 252, *cenā* tibi dabitur, Epid., I, 1, 6 ; alia per apocopen ut *unus*, e*t item alter* Andr., 77, *hascin*e propter res. Trin., 75. In quam licentiam fortasse con-

(1) Nisi forte pronuntiandum *consult*, ut *confert*.

cessit *Chrysale* quis est hic (Bacc., 811). *Thaidos* (Eun. arg., 5), si, ut peregrinam terminationem, ita accentum graecum servavit, nihil est quo offendamur.

Ergo neutram brevium, vel ulteriorem solam accentu efferri non licet : at si brevis prior acuatur, dactylus spondei spatium fere aequabit ut *hunc ego, et meritum Lanigerum* : quare hoc genere pedum senarii maxime abundant. A qua norma sequentes non recedunt, ut qui vulgari modo acuta quarta a fine syllaba proferrentur :

Calumniari si quis au*tem volue*rit Phaedr., I, prol., 5.
Novissime indignata, dum *vali*dius. (I, 24, 9.)

Quaerendum autem num brevis utraque nullo metri detrimento acui potuerit. Non sunt hujus condicionis ill*a est quid i*ta (nam *quid ita* Donatus [1] unam esse orationis partem testatur) *quid igi*tur, *atque in e*um, quae inter se artissime conjuncta uno accentu efferebantur. At in his : *sed quid a*is, mini*me quod e*rit, fue*rit quod i*ter (etenim conjunctio praepostere posita proferebatur) [2] utramque brevem acuebant, ita ut specie verus esset dactylus; verum spondei illius, quem a Romanis pro iambo acceptum esse contendimus, vicarios agnoscere videmur, et tribrachos statuimus italicos, quorum thesis, quia gravatur, surda est et quasi contracta, arsis autem ob accentum duplo fere longior.

Proceleusmaticus cum thesi anapaestica constet, et arsi dactylica, utriusque pedis sequitur rationem, ideoque prima et tertia syllaba acuuntur, ceterae ferme delitescunt : facile autem perspicitur cur in hoc geminatam aphaeresin vel apocopen vel syncopen poetae plurimum

(1) Ad. Andr. 371.
(2) Corssen. II. 808.

vitaverint : quid enim durius? Itaque illos metaplasmos cum synizesi, quae quidem lenissima est, plerumque conjunxerunt aut etiam hac sola sunt usi, ut *ita faci*am (Andr., 46. Trin., 806) (1) *alii oner*ant (Phaed., III, 3, 4) *benefici*um (nam prima syllaba accentu efferebatur secundario), III, 15, 13, I, 22, 8, *nihil ag*ere, III, 17, 13, *itaque hodie*, IV, 11, 12, *super etiam*, IV, 25, 15, *quia vide*or, III, 7, 18, onustus qui *sacrilegi*o, IV, 11, 3.

Hic animadvertendum idem illud observari ubi anapaesti vel dactyli continuantur, ut

Secund*am quia sum socius tribu*ctis mihi. Phaed., 1,5,8. (2)

Nam effugienda erat orationis asperitas, quae continuas contractiones plurimum consequitur (3); ut in hoc Plauti versu (Trin., 759.) :

Potin *e*st ab *a*mico al*i*cunde exorari ? — Potest.

Qua de causa nec proceleusmaticus nec series illa pedum frequenter occurrunt.

Tribrachus quoque, etsi iambo par esse videtur, certis tamen astringitur legibus : voces enim ejus mensuram implentes cum pronuntiatione paenultimam tantum non abjicerent, nullo senarii pede potuerunt contineri, ne trochaei speciem exhiberent ; et si quae inveniuntur contra hanc regulam posita, ut *Rapior* obtorto collo (Rud., 857.) *dederăt* amicae (Hec. arg., 4), respicienda est pristina verborum quantitas. At si pes ille e pluribus vocabulis constet, neque primam tantum syllabam neque tertiam neque utramque simul acui licet, ut si faciam

---

(1) Cf. Ritschl. Prol., p. 289.
(2) Cf. L. Mueller. Praef. ad Phaedr., p. x;
(3) Cf. Ritschl, Prol., p. 289.

*avida*que *bone pat*er : facile enim in his trochaei vulgares agnoscuntur. Sed secundae soli, aut binis continuis accentus dari possunt, quia sic aut iambum fere habes, ut mem*inerit, inlicere pretio*, *quid ais*, aut verum tribrachum, quale est scelest*e quid a*is : nam versus Caecilii (Ribb., p. 63) *ubi domum adve*ni... incipit a proceleusmatico, et in illo calumniat*or ab ov*e (Phaed. I, 17, 2) syllabae *or ab ov* propter clarum litterae *a* sonum plenum tribrachum efficiunt, quanquam arsis in brevi posteriore acuitur. Itaque tales pedes elegantissimi poetae probaverunt (1) et quidem hoc unum a norma solutionum abhorret : hujus autem rei causa est quod syllaba brevis acutae proxima in media parte vocum vel in postrema facile delitescit, sed verba per aphaeresin corrumpi sermo multo difficilius patitur.

Haec omnia ut paucis comprehendamus, in solvenda longa licet utrasque breves acui, ulteriorem solam non licet ; legem vero, qua universa reguntur, sic simpliciter enuntiem : nulla fit syllabae longae solutio in qua brevium ulterior accentu vel levissimo supra alteram extollatur.

At ne iambus quidem propriis eget observantiis. Caverunt profecto poetae ne pes quintus vocabulo iambico aut fine vocabuli in iambum exeuntis contineretur ; sed rem ita se habere, quod duplex versus conclusio vitanda esset (2), minime credendum est, quando tales clausulas Graeci haudquaquam effugerint. Hujus rei alia est causa : nam cum voces iambicas et dactylicas creticasve ita pro-

---

(1) Cf. Sen. Med. 561. Discessit, *itan* est ? vadis oblitus mei.

(2) O. Brugmann. Quemadmodum in iambico senario Romani veteres verborum accentus cum numeris consociarint, p. 17.

nuntiarent, ut in illis ulterior syllaba facile aut corriperetur aut cum priore in unam coiret, his autem paenultimam tantum non demerent, nonne videndum erat ne illius generis iambi tanquam detracta justi spatii parte surdi essent atque elumbes ? Ita que et alibi et praesertim in fine versuum, ubi numeros aperte et distincte ad aures accidere opportebat, displicuit continuari pedes absonos atque inanes, et repudiatae sunt clausulae illae quales sunt *pedis pedem*, *arido loco*, ne subtracta fere *i* vocali metrum videretur exanimari. Istius modi multa scaenicis poetis a philologis illata recte procuravit Luchsius (1) : hujus tamen placita non omnino amplectimur. Erant enim quae cum hiatu enuntiarentur ut :

Amat: dabitur a me argentum, dum | erit commodum Ad., 118.

Domi suae defossam multis cum | opibus. Aul., arg. 2.

Et fortasse velociori pronuntiatione fiebat synalipha (2) quam in sequentibus admissam esse facilius intellegitur :

Sed quor sedebas in foro, si eras coquos ? Pseud., 800.

Verbis saepe in se transmovet, qui habet salem. Eun., 400.

Matris servibo commodis. Quo abis? ades. Hec., 495.

Me aegre, pati illi nolui : nam itast homo. Ad., 143.

vel etiam per aphaeresin *nam tast* (3).

Hiatum profecto ante ultimam dipodiam iambicam poetae admiserunt (4) :

---

(1) Quaestiones metricae Plautinae, in Studemundi studiis, vol. 1, p. 14, sqq.

(2) Pronuntiabant videlicet *duerit, copibus* ut disyllaba, ad similitudinem eorum quae sunt *cogo, coetus*.

(3) *Ibid.*, p. 18.

(4) *Ibid.*, p. 23.

Neque illaec ulli pede pedem | homini premat. Asin., 775.

..... Gratiam | habeo tibi. Capt., 373, Mil., 1425.

Obloquere. — Fiat maxume. — | Etiam taces, Curc, 41.

Item a me contra factum est : nam | item obiit diem, Aul., prol. 20.

Sic enim *item* et *ita* aequum erat distingui.

Dedit, cenavit, gaudebam. Item | alio die. And., 89.

In quarta arsi syllabam brevem produci exempla multa confirmant (1). Sed de finalibus tantum syllabis vocum polysyllabarum docti disserunt : quidni de aliis ? Nam in his versibus :

Quisnam istic fluviust, quem non recipiat mare? Curc., 86.

Jamne abiit intro? abiit, operuit foris. Men., 550.

nonne brevis syllabae productio eo minus offendit, quod ea licentia quantitate pristina excusatur ? Quin etiam nihil est cur idem hoc monosyllabis accidisse non credamus :

Verum periclitatus sum | animum tuum. Amph., 914.

Facete advortis tuum animum ad | animum meum. Mil., 39.

Tibi ego dico an non? Quid vis? At etiam rogas (2). Andr., 762.

Num posterioribus hoc licuerit, incertum est (3); quod habent veteres Phaedri codices :

Frondem bubulcus affert, nec | ideo videt. (II, 8. 11.) defendere non ausim.

---

(1) *Ibid.*, p. 17. — L. Havet, De Vers Sat., p 52.
(2) Cf. Luchs, p. 16.
(3) Cf. L Mueller, d. r. m. 156.

Sed quibus tandem condicionibus quinta sedes iambum recepit? Scilicet necesse fuit ut ille non exanimaretur, sed plenum aliquid sonaret atque numerosum. Quod nescio an vocalis *a*, quae ceteris validior est et clarior, praestare potuerit : quanquam *bona fide*, *malam crucem*, quae in fine versuum saepius occurrunt, si accipias pro uno vocabulo [1] (illud enim usu tritum, huic etiam adjectivum *maximam* crebro accedit) res ad id redit de quo jam sumus dicturi. Clausulas enim compone usitatissimas, quales sunt *mater et pater*, *pepercerant*, *rogasset alteram*, *in otio*, *amicus est*, *bonan fide* : statim apparet quintum illum pedem vi ac virtute accentus fieri sonorum, ideoque poetas ipsa sermonis natura inductos hanc legem sibi sanxisse, ut ne iambum, nisi cujus longa syllaba haberet accentum, in sedem senarii paenultimam admitterent.

§ 2.

DE LOCIS PARIBUS.

Has quidem observantias Graecis ignotas omnes Romani poetae retinuere : at in tractandis locis paribus veteres ea non modo non migraverunt, sed propriis rationibus sunt usi, ex quibus mera et vulgaritas et latinitas pellucet. Spondeum quippe et pedes ejus succedaneos in sedes secundam et quartam videntur admisisse : sed si reipsa admiserunt, licet Horatio dent poenas : quid enim turpius quam iambum ab iam-

---

(1) Luchs, p. 19-21.

bicis versibus excludi? Sed cur illis inaudita ista atque enormia proferre libuerit, cum graeca imitari et possent et profecto magnopere conarentur, equidem non perspicio, nec quicquam sane de illo proditum est, qui, inventa arte nova, multo ante aetatem Horatianam iambos non Parios Latio primus ostenderit. Quanto rectius antiquos normae Graecorum obsecutos esse credamus, iambos autem suos non ad certas scribendi regulas, sed ad id, quod auris sentiret, exegisse?

Itaque in his sedibus pedes occurrunt maxime diversi. Ac primo quidem iambi inveniuntur graecanici, in quibus, utra syllaba acuatur, ad ipsam artem minime, ad elegantiam multum refert: nam vox *cibo* et vocis *vagantes* syllabae initiales quanquam eodem sunt spatio, prior tamen ille iambus altero surdior est, ut ex iis apparet quae supra diximus, eaque de causo multo infrequentior.

Tribrachi eam legem servant de qua supra disseruimus: nam si qui videntur excipi, reipsa sunt iambi vulgares, ut:

Is priusquam hinc abiit ips*émet in* exercitum. Amph. prol. 102.

In spondeis antiqua parium locorum ratio tota fere vertitur. Gravari ulteriorem longam, alteram accentu efferri non licebat, ne fieret trochaeus, aut certe pes trochaeo similior quam iambo. Scio equidem hanc tonorum observationem, quam ferme a veteribus teneri inter omnes satis constat, multorum sententia virtuti incisionum tribui, et absit ut haec plerumque inter se conjurare infitiemur; sed alterum reipsa ab altero adeo non pendet, ut sive incideretur versus, seu nulla esset caesura, normam illam poetae non magis

videantur migravisse, etsi aliud fieri potuit saepissime. Nam ut secundam tantum sedem attingamus, *siti compulsi, in prologis, adeste aequo animo* in principio senarii ponere licet, alia vero, ut *introducti sunt, recte dicis, nihil ornati, pro peccato, di immortales, ita aetatem degebant,* profecto non licet : num igitur, quaeso, illa omnia a caesura aliter sese habent ? Sed postrema trochaica sunt : et si quae hujus modi, paucissima alioqui numero (1) librorum memoria traduntur, respicienda est vulgaris consuetudo qua ea procurentur. Nam in his versibus :

Sues moriuntur *angina* acerrume.

Quo cuncti qui aetatem *egerunt* caste suam. (Trin. 542. 550.)

Vocabulum illud *angina* esse pro cretico, non pro molosso, Lucianus Mueller certis exemplis demonstravit (2) ; *egerunt* facile media correpta legitur. In hoc autem versu *omnem* pro iambo accipitur :

Habes omnem rem (Hec. 194).

Sic etiam mutatis et accentu et quantitate in sequentibus stare metrum poterit :

Petunt quïque ín*jure* ábjurant (*abjerant*) pecuniam. (Rud. prol. 14.)

Is nunc Amphitruo práefectust legionibus. (Amph. 100) (3).

Praeterea ea una cónse*n*tit cum filio.

---

(1) In Andria exempla occurrunt sex (prol. 7, v. 277, 458, 539, 767, 819) ; in Trinummo totidem (186, 410, 458, 527, 540, 550).

(2) L. Mueller, Lucil., p. 267.

(3) In eo quod est *consentit* litteras *nt* in *nn* transisse, ut *dispennite, distennite* (Mil. 1407) *tennitur* (Phorm. II. 2. 16) dixerunt, deinde in unam consonantem coaluisse conicio, — Cf. Gell. VII. 7 qui versum Phorm. 88 sic legi oportere non negat :

« In quo haec discebat ludo exàdversum loco. »

Palam mutire plébe*i*o piaculum est (Enn. Ribb. tr. p. 56).

Ita me vetustas ámplex (*s*) u annorum enecat. (Laber. Ribb. 297.)

Quam si tu obicias fórm*i*cis papaverem. (Trin. 410.)

Vidi Neptunum, Virt*u*tem, Victoriam. (Amph., prol. 42.)

Impure, inhoneste, *illex*, labes popli. (Pers 408).

Nam *illex* aut circumflectitur, ut *Arpinas*, aut corripitur ut *ille* : et fortasse fit utrumque.

Veteris poetae mál*e*dictis respondeat. (Andr. prol. 7.)

Hascine propter res mál*e*dicas famas ferunt. (Trin. 186.)

In hoc versu *propter res*, sicut in aliis *multo post*, *inter se*, *erga me*, *nescio quis*, enclisis jure in unam vocem coalescere, ideoque mutari accentum Ritschelius suspicatus est et exemplis non paucis comprobavit [1] : quo etiam sequentia excusantur :

Hectoris natum dé m*u*ro jactarier. Enn. Ribb. tr., p. 26.

Sequar hos : n*o*ló me in tempore hoc videat senex. Andr. 819.

Et ad pudicitiam et á*d rem* [2] tutandam sient. Andr. 288.

Scies hand multó post — Oppido interii miser. Bacch. 852.

Veniat *quandó* volt... Bacch. 192.

Sumus : *quandó* res... Capt. I. 1. 18.

Fortasse etiam *quando*, ut *quasi*, quod dictum est pro *quam si*, prima correpta pronuntiabant.

---

(1) Proleg., p. ccxxii, sq.

(2) A*d* *rem* possis etiam pro trochaeo accipere.

Quin tu primum salutem reddis quam dedi? Bacch. 245.

facile transponendo emendatur.

Fateor. Qui*d*ni fateare, egomet, quod viderim. Mil. II. 6. 73,

qnidni, ut *quid*, *d* litteram abjecit, ita ut iambus statuatur.

In peregrinis autem nominibus cum nulli certi sint accentus (1), nihil est quod hunc versum sollicitemus :

Sed divesne iste est *Théotimus*?— Etiam rogas. Bacch. 299.

Ut in interjectionibus, sic in interjectiva oratione accentuum ratio potuit perturbari (2) :

O facinus animadvértendum. Quid clamitas? Andr. 767.

Ejusdem fabulae versum 458 sic lego:

Nam si hic malist quicquam, hem | illíc est huic rei caput.

v. 277..... Adeon me ignavum putas,

observandum est arsi quartae non deesse legitimum accentum, quia fit syncrisis, non elisio.

v. 161. Quam ego credo manibus pedibusque obnixe omnia,

videtur in D fuisse olim *et pedibus;* item v. 676 sic habent D G :

Conari manibus pedibusque noctes et dies.

Licuit igitur editoribus voculam *que* delere : quanquam, ut *palm et crinibus*, sic *manib et pedibus* dictum esse suspicor.

---

(1) Prisc. K., p, 520.
(2) Diomed., p. 433.

Ergo haec pleraque a norma specie recedunt, quod toni per metaplasmum transmutantur : itaque talia apud poetas elegantiores non inveniri minime mirum est, quippe qui vulgarem illam licentiam repudiaverint. Quod si quae non facile procurantur, id aut librariorum incuriae, aut imperitiae nostrae imputandum. Nam ii, qui nullam in senariis fuisse accentuum observationem contendunt, necesse est, si fidem facere velint, primum expediant quare eam legem veteres tam raro migraverint, quam multis modis promptum esset praetermittere, deinde causam aperiant cur aliud antiquis, aliud recentioribus poetis placuerit.

Fiunt autem spondei legitimi tribus modis. Potest enim accentus vel secundarius cum ictu concinere, ita ut iambus fiat aut vulgaris ut:

Cum trist*em servitutem fler*ent attici. Phaed. I. 2. 6.
aut italicus, ut:

Sed nisi *monstrar*o quid sit faciendum tibi. Id. II. 6. 9.
qui quidem pedes omnium multo sunt frequentissimi.

Alii vero in neutra syllaba acuuntur : sed vulgari pronuntiatione, adjuvante etiam arsi, ulterior alterā habebatur longior, ut :

Et quod prudenti vit*am cons*ilio monet. Phaed. I. prol. 4.

Dissimili *ora*tione sunt factae ac stylo. Andr. prol. 12.

Scilicet Romani talia non sine quadam aurium religione ponebant : sed quia vivido latinae linguae sensu caremus, non nostrum est de his judicare. Sequentia facilius intelleguntur :

Omne insuetis onus, e*t* coepissent queri. Phaed. I. 2. 7.

Nihil propter hanc rem, se*d* est quo*d* suscenset tibi. Andr. 448.

Indeque expectabam ubi aurum ă*b*strudebat senex. Aul. 707.

Quia omnis bonos bonasque ă*d*curare addecet. Trin. 77.

Vellem istis verbis saltem ă*d*juvisses modo. Phaed. V. 2. 8.

Poeta cum primum animum ă*d* scribendum adpulit. Andr. prol. I.

Interea fanum qui co*m*pilarant Jovis. Phaed. app. I. 36.

Derisor potius quam d*e*ridendus senex. Id. III. 14.

Mandant et orent ut d*i*mittantur simul. Id. IV. 19. 20.

Aegre recepti tamen *e*vaserunt necem. Id. IV. 6. 4.

Ne tantum miserae luctum i*m*portaret sibi. Id. I. 28. 6.

Quisnam cinaedus ille i*n* conspectum meum. Id. V. I. 15.

Faciuntne i*n*tellegendo ut nihil intellegant. Andr. prol. 17.

Patria pr*o*telatum esse saevitia patris. Turpil. Ribb. com. 96.

In his conjunctiones vel praepositiones aut corripiuntur aut finalem consonantem abjiciunt. Sed omnes voces quae syllabis quattuor constant, in illos locos non aeque recipiuntur : nam si *infe*licem vel *orna*mentum ponas, cum in illa voce pronuntianda prima produceretur (1), in hac autem *orna* pro trochaeo potius habendum esse sermo noster demonstrat, numeri jam sint fere nulli. Praeter ceteras autem syllaba *in*, si gravetur, brevi plerumque ita similis est, ut apud Phaedrum alteri longae

---

(1) Cic. Orat. XLVIII.

subjecta pedem iambicum nusquam impleat, videlicet ne sit trochaeus, sed brevem sic excipiat :

..... Plaudit *in*ludens eques. V. 7. 33.

Interdum etiam jure enclisis mutatur accentus :

Ne latrem *pro re* domini... I. 23. 6.

Conjunctiones vero et pronomina conjunctiva idem ille poeta sic in arsi posuit, ut praepostere proferrentur ideoque tanquam separata accentum assumerent :

Quae vulpem *cum* revocasset... I. 26. 7.

Itaque aurum *dum* custodit... I. 27. 7.

Odorem *quae* jocundum... III. 1. 3.

Sed magnopere videtur cavisse ne spondeum utraque syllaba gravatum in secundum aut quartum pedem admitteret.

Veri simile est parum numerosos fuisse versus tales :

Quacum ae*tas de*genda et vivendum esset tibi. (Turpil. Ribb. com. 92.)

quod in hoc, si modo recte traditus aut editus est, dum syllabae illa *de* ictu intenditur, accentu autem imminuitur, dissono quodam certamine aures laborant : nisi forte in elisionibus retractos fuisse tonos cum Hermanno [1] arbitraris ; quod quo modo comprobari possit, equidem nescio.

Multo minus est offensionis, ubi utraque longa acuitur : nam quod altera sub arsi posita paullo validius efferebatur, id non aeque male ad aures accidebat, neque a consuetudine sermonis videbatur tantum discrepare.

Dat jejuna anima... (Caecil. Ribb. com. 63.)

..... Gaudere et mirarier. Ibid. 68.

---

(1) Elem. doctr. metr., § 100. Cf. Weil et Benlœw, p. 80.

Multa autem hujus generis excusantur, sive altera syllaba paene gravem habet tonum, ut :

Vulpes *hunc* vidit.... Phaed. I. 13. 5.

seu binis vocabulis in unum coeuntibus, ulterior solummodo acuitur, quale est :

Sera *dat* poenas..... (Id. II.)

nam ut thesis gravaretur, arsis autem cum accentu concineret, si non necessitas, certe elegantia poscebat.

Jam vero facile intellegitur anapaestum dactylum proceleusmaticum, quando hi omnes non tolerantur, nisi in spondeos pronuntiatione fere contrahi possunt, ab illa norma non recedere. Idcirco priorem syllabam brevem quae sub arsin cadit praecedente syllaba graviorem esse non licet : pedes autem mendaces perspecto vulgari usu nullo negotio tolluntur. Etenim ex anapaestis iambi fiunt, si aut semivocalis pro vocali habita cum altera coalescat (quod et praebet Lucretianum illud *oriundi*), ut :

In ambig*uo*st etiam nunc quid ea re fuat. Trin. 594.

Compellarem ego illam, ni met*u*am ne desinat. Aul. III. 5. 49.

Video nim*io* jam... Bacch. 119.

In milit*ia*m proficisci gnatum Cliniam. Haut. arg. 1.

Ego me fecisse confit*eo*r (*io*r) Megaronides. Trin. 184.

Conisus esses per cor*iu*m, per viscera. Mil. I. 1. 29.

Istuc cave faxis : quin pot*iu*s per gratiam. Id. IV. 3. 32.

Ei adeo obsoni hinc dimid*iu*m jussit dari. Aul. 291.

Hac re probatur, ingen*iu*m quantum valet. Phaed. I. 13. 14.

aut *i* littera delitescat, ut

Dic Callicli, me ut conven*i*at — Quin tu i modo. Trin. 582.

aut vocalis lenissime subducatur, ita ut brevis antecedens facta positione debili non producatur, ut :

Quasi ventus folia aut penic*u*lum tectorium. Mil. I. 1. 18.

Magistron quemquam discip*u*lum minitarier. Bacch. 121.

Quid facias illi, qui ded*e*rit damnum aut malum. Andr. 143.

Non flexib*i*lem me concurvasti ut carperes. Laber. Ribb. com. 296.

aut retracto in quartam a fine syllabam accentu tertia tantum non eximatur, ut :

Salve. Sed ubinamst Mnes*i*lochus — Vivit, valet. Bacch. 214.

Summissa placide bland*i*loquens oratio. Laber. ib. 295.

aut vocabulum usu tritum asperius concidatur, ut :

Ita faciam. At en*i*m nimis longo sermone utimur. Trin. 806.

Meruisse equid*em* me maximum fateor malum. Mil. II. 6. 66.

Fateor. Quidni fateare egom*e*t quod viderim. Id. 73.

Verumtam*e*n accipientur mulso milites. Bacch. 1035.

aut restituenda sit forma dictionis infrequentior :

Nisi quid me *aliud* (*alid*) (1) vis, Philto, respondi tibi. Trin. 458.

aut vulgaris positionis ratio habenda sit, ut :

Sed si legirupam qui da*mn*et, det in publicum. Pers. 68.

Eodem fere modo in locutionibus quibusdam propter

(1) Catull. 29, 15. Lachmann ad Lucret, p. 286.

frequentiam usus corruptioribus vox illa *animus* *m* et *n* litteris per syncopen vocalis *i* in unam fere consonantem tenuatis iambi speciem fortasse exhibuit :

Ne lamentetur neve a*nim*um despondeat. Mil. I. 1. 6.

Miser ex a*nim*o fit, factius nihilo facit. Trin 397.

Medea, a*nim*o aegra, amore saevo, saucia. Enn. Ribb. tr. 45.

Ceteri anapaesti in arsi saepissime acuuntur, multo rarius in arsi et thesi.

..... Exp*eriendi* gratia. Phaed. I. 14. 6.

Quid ais? — *Redeo inde* iratus. And. 137.

Thesin autem ne sedibus quidem imparibus omnino gravari licet; nam in hoc versu accentum habes secundarium :

Cervus *némorosis* excitatus latibulis (Phaed. II. 8. 1).

Ita enim fiunt iambi italici : sed tales pedes in locos pares Phaedrus raro admisit, quod in cultiorum sermone vocabula non satis leniter contrahi poterant, ut duae breves pro una ponerentur.

Longa vero cum facilius corriperetur, multo frequentiores sunt dactyli; quorum genera esse duo ex his exemplis apparet :

Longe que *intéri*or agnus. Phaed. I. 1. 3.

Lympharum *in spécu*lo. I. 4. 3.

Cassand*rae quía* non creditum. III. 10. 4.

Fortuna *immóder*ata. Laber. Ribb. com. 296.

Nunc u*xóre ópus* est.

Utinam an *nóndum éti*am. Andr. 446. 807.

Sed duplicem hunc accentum Phaedrus vitavit, sive quod hoc modo iambi ex dactylis non nisi per abjectam pronuntiationem fieri poterant, seu quia non satis insigniri videbantur.

Alii autem dactyli pro tribrachis italicis accipiendi sunt :

Sed quíd *áis?*... Trin. 196.

Reviso *quíd* *ág*ant... Andr. 404.

..... fue*rat* *quod* *i*ter longius. Phaed. III. 19. 5.

Proceleusmaticus, sicut fere dactylus ille bis acutus interdum iambi speciem imitatur :

Si quid *tibi* *pláce*at... Trin. 472.

Illum *béne* *gére*re rem... Id. 773.

Mala mens, *málus* *ání*mus. Andr. 164.

Sed hic pes propter iteratum accentum geminatamque contractionem et iambico metro et cultae orationi ferme repugnat : quare hac licentia Phaedrus abstinuit.

Omnia ergo quae sedibus paribus continentur, etsi verbo inter se multum discrepant, re tamen unum sonare apparet, quod illis antiqui iamborum similitudinem exprimere sibi videbantur : quam ad rem referenda esse puto haec Caesii Bassi verba (1) :

« Iambicus, cum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut, cum pedem supplodes, iambum ferias ; ideoque illa loca percussionis non recipiunt alium quam iambum et ei parem tribrachyn, aut alterius exhibuerint metri speciem. Quod dico, exemplo faciam illustrius. Est in Eunucho Terenti statim in prima pagina hic versus trimetrus :

Exclusit, revocat, redeam ? Non, si me obsecret.

Hunc incipe ferire : videberis heroum habere inter manus. »

Quo significat, ni fallor, grammaticus *sit revo* ita pronuntiandum esse ut pro iambo habeatur ; sed

---

(1) Ap. Rufinum K. 555.

aetate Neroniana, qua ille vixit, talem dactylum in secundo loco jam non probari. Tunc enim artem Graecanicam diligentius imitabantur: iambos tamen antiqua ratione fieri posse intellegebant.

§ 3.

DE TERTIO PEDE.

Jam de tertio pede dicendum est. In eo cum iambum lex metrica minime requirat, spondeum quemvis poni fas est, ut:

Vel da aliquem qui *servet* me. Ohe odiose facis. Bacch. 1026.

Sed hujus modi versus perraro inveniuntur (1), et in hac potissimum sede videtur accentus cum ictu consociari. Cujus rei causa praecipua est quod caesuram non semiquinariam modo, verum etiam semiseptenariam observari lingua latina ferme non sinit, si spondeus vel ejus vicarius quilibet in prima syllaba acuatur. Praeter illam necessitatem ipsa elegantia tales numeros apud ceteros poetas plurimum, apud cultiores omnino repudiavit. Neque enim prima illa syllaba acui potuit, quin praecedens fere gravaretur; quo fiebat ut secunda sedes amisso accentu languesceret.

§ 4.

DE OBSERVANTIIS SUBTILIORIBUS.

Non absimili ratione recentiores illi caverunt ne vo-

(1) Ritschl, Proleg. 218-219.

cula enclitica verbi antecedentis cacumen juxta se collocante numeri fierent inaequales ut in his :

Mansuetique animi officia...

Audireque eorum est... Andr. 114. 217.

Vivit victuraque est...

Bona fausta felix fortunataque evenat. Trin. 56. 41.

Nam cum pedes illi duplici accentu insigniantur, ii vero qui praecedunt hebetes sint ac subsurdi, absonam illam metri diversitatem cultae aures graviter ferunt. Nihil tale sibi Phaedrus indulsit nisi quod pro codicum scriptura *illa quae arebat siti* (III. 16. 15), scripsit Lucianus Mueller *illaque* : sed hoc ad sententiam videtur minus quadrare.

PARS III.

I.

Superest ut omnia quae de senariis disseruimus summatim breviterque componamus. In omnes locos iambus quilibet admittitur, in quintum is tantum cujus longa syllaba accentu effertur. Sedes impares etiam tribrachum vel graecanicum vel italicum et spondeum recipiunt, nec non hujus vicarios, sed ea condicione, ut pronuntiatione spondei fere fiant, hoc est ut solutae ársis vel thésis prior syllaba acuatur. In sexto pede iambus purus, in secundo et quarto iambus et tribrachus ponuntur, sive illi graeca, seu latina ratione effecti sunt : itaque servatur metrica Graecorum disciplina, quanquam magna ex parte ad vernaculam quamdam prosodiae normam exprimitur : quod quidem ex insequenti tabula facile apparet (1) :

IN LOCIS OMNIBUS.

Pedes legitimi.	Pedes mendosi.
IAMBI.	
cíbo (praeter quintum pedem). . .	
ᴗ –	
vagar/i.	
ᴗ –	

(1) Italicis typis impressae sunt vocales quae neque planum sonant neque satis delitescunt, unde aliqua numerorum oritur obscuritas ; signis infra positis vulgaris quantitas singulorum pedum indicatur.

TRIBRACHI.

memíne / rit.
˘ ¯
ill / e qui ócu / los.
˘ ¯
quíd áis.
˘ ¯
scelest / e quíd á / is.
˘ ˘ ˘
ex / it aper / itur.
˘ ¯
vén / it in e / úmdem.
˘ ˘ ˘
(pást / or ab óv / e)
˘ ˘ ˘

ánima.
¯ ˘
dédit óv / em.
¯ ˘
rédd / *i*mus óv / em.
˘ ˘
fóris a / peritur.
¯ ˘
ávidáqu / e
¯ ˘

SPONDEI.

quilibet.

DACTYLI.

nóss / es ánim / um.
¯ ¯ (˘ ¯ *ital.*)
hós férit.
¯ ¯
consíli / um.
¯ ¯ (˘ ¯ *ital.*)
fuer / it quód it / er.
˘ ˘ ˘ (*ital.*)
láud / es et am / icos.
˘ ˘ ˘ (*ital. arsin*).
mansuet / íque ánim / i.
¯ ¯ (˘ ¯ ob arsin).

árma vír / um.
¯ ˘ ˘
línquitur.
¯ ˘ ˘
primus ab.
¯ ˘ ˘
liminá qu / e.
¯ ˘ ˘
redd / ámus in.
¯ ˘

ANAPAESTI.

pópulo.
˘ -

animósqu / e.
- - (˘ - *ital.*)

rápere átqu / e.
- -

fácit ómn / es.
- -

égo víd / i.
- - (˘ - *ital.*)

tegm / ine fág / i.
˘ ˘ -

arm / a víros.
˘ ˘ -

béne hábens.
˘ ˘ ˘ *ital. sed trochaeo similior.*

mále opért / um (*apud elegantiores rarior*).
˘ ˘ - iambo similior quam trochaeo.

PROCELEUSMATICI.

álji óner / ant.
- -

níhil áger / e.
- -

sacrilégi / o.
- -

benefíci / um.
- -

arm / a rápida.
˘ - ˘

et ávidit / as.
˘ - ˘

et avídit / as.
˘ ˘ -

sonípedis.
˘ - ˘

vóluerit. (1)
- ˘ ˘

---

(1) Cum in hoc genere pedum thesin anapaesticam et arsin dactylicam facile agnoscas, ex iis quae de dactylis et anapaestis supra diximus, intellegis qua ratione alterutra legitima efficiatur.

IN LOCIS PARIBUS.

IAMBI ET TRIBRACHI,

quicumque in impares admittuntur.

SPONDEI.

vitésqu / e. ˘ - (*ital.*)	vítes. - ˘ (*ital.*)
formós / os. ˘ - (*ital.*)	form / ósos. - ˘ (*ital.*)
cont / urbánt / ur. ˘ - (*ital.*)	conturb / ántur. - ˘ (*ital.*)
derid / éndus. ˘ - ob arsin.	
orat / ione. ˘ - (*ital.*)	
hunc víd / it. ˘ - (*ital.*)	

Dactyli et anapaesti ii recipiuntur, quos pro iambis italicis accipi supra significavimus.

Proceleusmaticis vix est locus ; qui etsi iambis italicis similes fieri possunt, ob duplicem verborum concisionem artem nimis vulgarem testantur.

Ea igitur indoles linguae latinae ut brevissimae legis observatione illa graecanica artis similitudo efficiatur.

In qualibet solutione syllabam ulteriorem magis quam priorem, in locis paribus thesin magis quam arsin accentu efferri nefas (1).

---

(1) Excipitur tribrachus cujus secunda syllaba principalem vocis locum tenet, quem supra uncis inclusimus.

At quo quis arte perfectior, eo subtiliores tenuit observantias. Quare Phaedrus praeter ceteros insignem circa solutiones adhibuit cautionem ac diligentiam, ut vocabula quam lenissime contraherentur, nec pedes asperos aut inanes continuavit, et versus accentibus aequaliter distingui voluit et multis modis profecto operam dedit ut metrum habile fieret ac luculentum; de quibus singillatim dicere, si modo nobis licet, ut infinitum, ita non satis tutum judicamus.

His rationibus senarios recita; metrum habebis nec molle aut vagum, quod vulgo minus acceptum est, neque ferme syllabarum numero sibi dispar (nam ut mihi quidem videtur, si quis olim e populo interrogatus esset, quot syllabis versus ille constaret, respondisset plerumque duodecim), neque rursus rigidum aut uniforme, quale fit cum ad normam Germanicam minime variatis accentibus legitur, sed validum et distinctum, idemque multiplex ac diversum. Jam vero plane intellegentur quae de ea re veteres tradiderunt: agnosces enim *similitudinem sermonis* (1) praesertim *humilioris* (2) et severitatem numerorum, in quibus *si paulum esset offensum theatra tota reclamarent* (3), *minutosque pedes* et *insignes percussiones* (4), quibus iambi *populares strepitus* valerent superare (5). At hercle iidem illi versus more nostro recitati multitudinis fremitum non vincunt, sed potius imitantur. Nam latina vocabula mutato

(1) Cicer. Orat. XX. e. l. LV.

(2) Cicero. Orat. LVIII: Iambus frequentissimus est in iis quae demisso atque humili sermone dicuntur.

(3) De oratore. III. 50, 51. — Orat. 51.

(4) De orat. 47.

(5) Horat. A. P v. V. 81.

accentu sic solemus enuntiare, ut siquis forte e Romanis reviviscat, sermonem suum tam barbare corruptum non facilius quam nostrum intellecturus esse videatur : contra quod vir doctissimus L. Quicherat scriptis frustra contendit (1), et multi sane etiam nunc fortius loquuntur quam pugnant. Hunc itaque degenerem legendi morem, verbo ad normam linguae nostrae accommodatum, re vera indoli atque ingenio ejus repugnantem si tandem solvamus, quod facillima opera ac vix ulla licet consequi, tum profecto, ut cetera commoda mittam, Phaedri numeros aure, non laboriose descriptis lineis, vel quintanus intelleget, ac patria quaedam et vernacula agnoscere se non sine voluptate mirabitur.

II.

Non enim ingenia nostra a latinitate ita abhorrent ut vulgaria multa aurium sensu percipere nequeamus : nam antiquissimis recentissima saepe similia sunt. Cum autem in hexametris vel Ennianis nihil tale inveniatur, nec ulla fere sit accentuum observatio, necesse est ut duplex versificandi genus olim apud Romanos fuisse credamus, alterum elegantius, alterum populare vel etiam plebeium. Hanc nos licentiam tantum in scribendis abjectis versiculis aut fabulis demissioribus assumpsimus : latinarum vero litterarum studioso operae pretium est attendere, in veteribus poetis id esse laudandum, quod, ut pro personis metra, sic etiam pro genere poematum artem variaverunt.

---

(6) *Traité de versification latine*, 20e édit., p. XVI.

III.

Item intellegitur quomodo ipsum rei metricae fundamentum postea ita sit mutatum, ut ab observatione quantitatis ad rationem accentuum recentiores transierint. An Commodianum illum tertio post Christum seculo quasi derepente carmina protulisse prorsus nova, eaque antea Romanis ignota aequalibus suis approbavisse facile creditur ? Haec autem disciplina non subita metrorum perversione orta est, sed novandi perpetuitate sensim invaluit, dum, crescente licentia, vulgus syllabas graves pro brevibus, acutas pro longis accipere assuescit; tantaque mutationis causa aperitur simplicissima, quod metra graecanica in Latium translata, tanquam arbores in solum alienum, ad cultum insolentem fingi non potuerunt quin pristinum habitum magna ex parte deponerent.

Senarium tamen paulo ante aetatem Augusteam poetae clarissimi renovare studuerunt. Jam enim cum scriptorum elegantiorum usu, et exquisita Graecorum aemulatione, tum florescentibus grammaticis disciplinis omnia in lingua latina fixa erant; et quae incerta priorum temporum mobilitas probaverat, ea curiosa ac diligens recentiorum aequalitas repudiavit. Itaque metra ad scripturam accommodaverunt, et accentus vulgari more transmutari jam non licuit : quo factum est ut Plautini versus *legitimum sonum digito et aure callentibus* (1) displicerent. Et quoniam trimetri graecanici non modo numeros sed ipsam formam imitari gestiebant, peregri-

---

(1) Horat. A. P. v. 274.

nam illam prosodiam asciverunt, ideoque iambum italicum pro iambo noluerunt accipere: qua de re sic Horatius cecinit [1]:

..... Non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit,
Commodus et patiens, non ut de sede secunda.
Cederet aut quarta socialiter...

His enim verbis praesertim ad trimetros iambicos attinentibus et interpretantium vitio saepe obscuratis nihil aliud significatur quam senarium, etsi spondeos, ut autea, reciperet, illis temporibus non jam adeo se patientem praebuisse, ut eos in sedes pares admitteret. Ille autem apud homines cultiores non ita longo aevi spatio sic exoluit, ut aetate Diocletiani Terentianus Maurus, dum de usu comicorum docet [2], ne unum quidem hujus modi versiculum arti suae inseruerit, quamvis exempla cum praeceptis solitus sit venustissime conjungere. Sed tamen in hoc metro omnes accentuum leges ipsa loquendi consuetudine institutas scholaris disciplinae severitas nihilominus servavit; quis enim in imitandis Graecis ita furere potuit ut peregrina et ab indole latinitatis aliena latine proferre auderet? Nimirum etiam viguit apud plebem ars altera, quae patrium illud versificandi genus retinuit, externa autem sine doctrina jam parum intellecta paulatim abjecit: nam cum res metrica vocabulorum fata sequeretur, senarius ille antiquus populoque probatissimus latente quidem, sed perpetuo usu vulgi renovatus colorem et speciem pristinam sensim

(1) A. P. v., 254, sq.
(2) V. 2232. K., p. 392.

amisit, donec everso imperio, mutataque in diversas formas lingua latina, apud gentes romani sermonis heredes novo cultu effloruit.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbonâ, a. d. XVI Kal. jun. anni MDCCCLXXXVI.

Facultatis Litterarum in Academiâ Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur.

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

CONSPECTUS OPERIS

PROOEMIUM

PARS I.

DE PROSODIA.

PARS II.

DE RE METRICA.

PARS III.

Vesontione, ex typis J. Dodivers et sociorum, in Magno Vico, nº LXXXVII.